MUSEUM HELVETICUM

Ad juvandas Literas in publicos Uſus apertum.

Particula XXVII.



TURICI.

Litteris Conradi Orellii & Soc.

MDCCLIII.

ARGUMENTA

hac Partic. XXVII. explicata.

I. J. JAC. ZIMMERMANNI Dissertatio de Religione *HESIODI.* p. 359.

II. Veterum Helvetiorum FORTITUDO contra *J. C. SCHWARZII* Judicium asserta a Viro Spectatiss. LOYSIO de BOCHAT. pag. 385.

III. J. J. LAUFFERI Quis sit vere Litteratus Prælectio. p. 432.

IV. J. G. ALTMANNI Exercitatio philol. in Quæstionem : An Apostolus Paulus Ephesi cum Bestiis pugnaverit? ad illustranda loca *I. Corinth. XV.* 32. *II. Cor. I.* 9. & *II. Timoth. IV.* 17. p. 468.

V. Oratio, in qua nonnulla Scientiæ minus efficacis Signa exponuntur. p. 512.

VI. Nova Litteraria. p. 489.

DISSERTATIO

de Religione HESIODI

Autore

JO. JAC. ZIMMERMANNO.

I.

HOMERUM excipit *HESIODUS*, qui a quibusdam ipso *Homero* antiquior habitus est; at nunc unanimi fere consensu Eruditi laudem hanc (si tamen laus est ætate alios antecedere) concedunt *Homero*. Eruditione, & ingenii indole pares esse videntur. Pauca huic Auctori insunt, quæ veri cupidis satisfacere possint. In *Theogonia* rerum omnium origines pandere aggressus est, at ita obscure, ut *oculatissimi Interpretes* vix ac ne vix quid sibi voluerit, hariolari possint. Sunt qui putent, verba, quæ certis hominibus tribuuntur per allegoriam, ad rerum naturalium principia trahenda: alii historias antiquissimorum terræ Incolarum deprehendunt, antiquitate temporis, & Linguæ ignotæ ignorantia corruptas.

Quemcunque ſequaris Interpretem, ubique offendes tenebras. Sit licet *Carteſii* opinio de rerum origine *conficta; ingenioſa* tamen eſt; at in *Theogonia Heſiodi* ſtrues verborum ſine calce & arena: de rebus loquimur, non de verbis. Alterum opuſculum *Opera & Dies* inſcriptum, priore quidem præſtat, cum multa ad mores hominum fingendos complectatur: facile tamen patet, præcepta illa ſeculi, quo vivebat, moribus attemperata eſſe. In fine hujus, quædam abſurda & ſuperſtitioſa admiſcentur, quæ Interpretes alienum in ſenſum torquere ſolent. Exercuit hic inprimis Ingenium ſuum *Literatiſſimus Vir, Dan. Heinſius*, qui adhibitâ omni ingenii vi, ſingulare hujus operis artificium oſtendere voluit. Omnes qui cogitata ipſius legunt, admirantur equidem ingenium *Heinſii*, politiorumque Literarum maximam peritiam laudant; ſed ea, quæ adfert, in *Heſiodo* deprehendere non poſſunt. Similis labor ejus mihi viſus eſt eorum ſtudio, qui analytica, uti loquuntur, *methodo* S. Literas interpretantur, & artificium Logicum ubique deprehendunt: quaſi vero Scriptores Sacri more Mathematicorum, *definitiones, axiomata, poſtulata* proponere, atque continuo propoſitionum nexu ſua demonſtrare voluiſſent. Sed is eſt Hominum, præſertim Interpretum, mos. Quæ obſcura ſunt, contortis explicationibus evadunt tandem ſi velint perſpicua & male dicta molli interpretatione mitigantur, quo ipſo tamen nolumus negare *Heinſium* multa egregia ad hunc Auctorem illuſtrandum in medium protuliſſe.

II.

Sed ad rem. Examinabimus quo jure hic antiquus Poëta, *Atheiſmi* poſtuletur. Audiemus autem

primo

primo loco teſtes, qui præclare hac in parte de *Heſiodo* judicaverunt. Clem. Alex. Stromat. Lib. 5. pag. 603. hunc verſum ex eo citat :

Αὐτος γὰρ παντων βασιλευς, καὶ κοιρανος ἐσιν
Ἀθανατων. σοι δ' ὲ τις ἐρηρισαι κρατος ἀλλος.

i.e. *Ille enim omnium Rex, & Dominus eſt Immortalium ; tecum nemo alius de potentia certavit.*

Ibid. pag. 106.

Μαντις δ' ὲδεις ἐσιν ἐπιχθονιων ἀνθρωπων,
Ὁσις ἀν ἐιδειη Ζηνος νοον ἀιγιοχοιο.

Vates nemo eſt terreſtrium hominum,
Qui noverit mentem Jovis Aegidem habentis.

Athenagoras Legat. pro Chriſtianis p. m. 176. *Edit. De Chair.* hunc verſum ex eo citat : περι δε Ἀσκληπιὸ Ἡσιοδος μεν.

-- -- Πατηρ Ανδρων τε Θεων τε
Χωσαι' ἀπ' ὀλυμπο καὶ βαλων ψολοενι κεραυνω
Ἐκλανε λὴιοιδην φιλον σον θυμον οριναν.

Aſt hominum Pater atque divum mox fervidus irâ
Ex ſummo calidum jaculatur fulmen Olympo
Phœbigenamque ſuum ſtygias detrudit ad undas.

Ariſtoteles Metaphyſ. Lib. I. pag. m. 357. poſtquam Philoſophorum de rerum principiis minus congruas recitaſſet ſententias, addit: Νυν δε τις ειπων εἶναι καθαπερ ἐν τοις Ζωοις, καὶ ἐν τη φυσει τον αἰτιον, καὶ του κοσμυ, καὶ τῆς ταξεως πασης, οἱον νηφων ἐφανη παρ' ἑικη λεγοντας τυς προτερον. Φανερως μεν ὐν Αναξαγοραν ἱσμεν ἁψαμενον τυτων τω λογων. αἰτιον δ' ἐχει προτερος Ερμοτιμος ὁ Κλαζομενιος εἰπειν. οἱ μεν ὐν ὑτως ὑπολαμβανοντες, ἅμα των καλως την αἰτιαν ἀρχην εἶναι των ὀνλων ἐθεσαν, καὶ την τοιαυτην, ὁθεν ἡ κινησις ὑπαρχει τοις ὐσιν. ὑποπλευσειε δ' ἂν τις Ἡσιοδον πρωτον ζητησαι το τοιυτο, καν ἐι τις ἀλλος ἐρωτα ἢ ἐπιθυμιαν ἐν τοις ὐσιν ἐθηκεν ὡς ἀρχην. Οἱον καὶ παρμενιδης. καὶ γαρ ὑτος παρασκευαζων την τυ παντος γενεσιν, πρωτον μεν φησιν ἐρωτα θεων μηθισατο παντων. Ησιοδος δε παντων μεν πρωτιστα χαος γενεσ' ἀυταρ ἐπειτα γαι ἐυρυστερνος. ἠδ' ἐρως, ὁς παντεσσι μεταπρεπει ἀθανατοισιν. ὡς δεον ἐν τοις ὐσιν ὑπαρχειν τινα αἰτιαν, ἥτις κινησει καὶ συνεξει τα πραγματα. i. e. *Quare qui ut in animalibus, ita in natura intellectum ineſſe cauſam mundi, totiusque ordinis dixerat, quaſi ſobrius, comparatus ad antiquiores vana dicentes, apparuit. Iſtas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuiſſe ſcimus. Attamen Hermotimus Clazomenius dicitur cauſam prius dixiſſe. Qui igitur ita arbitrati ſunt, principium exiſtentium poſuerunt ſimul tam cauſam ipſius bene, quam illam, unde motus exiſtentibus ineſt. Suſpicaretur autem aliquis Heſiodum primum hoc quæſiviſſe, & ſi quis alius amorem, aut deſiderium in exiſtentibus, ut principium poſuit, ſicuti Parmenides: Etenim is Univerſi generationem monſtrando primum quidem inter omnes Deos amorem produxit. Heſiodus vero ante omnia fuiſſe chaos, dêinde terram ſpatioſam atque amorem, qui inter omnes immortales*

tales elucet: tanquam opportunum ſit, ut in exiſtentibus aliqua cauſa inſit, quæ res ipſas moveat, atque conjungat. Prolixiorem hunc locum non ideo adduxi, quod putem, ſolide ex eo probari poſſe, *Heſiodum* cauſam aliquam intelligentem, a materia prorſus diſtinctam, pro principio omnium rerum habere, quo tamen loco nititur Cl. *Reimannus Hiſt. Atheiſmi* pag. 121. adſerens, *Heſiodum* primum Amorem tanquam principium activum in Theologiam introduxiſſe: Aperte *Ariſtoteles* ſententiam *Heſiodi* diſtinguit ab opinione *Anaxogoræ* & *Parmenidis*, primumque locum tribuit *Chao*, atque ex eo demum amorem repetit, quem amorem *Ariſtoteles* tanquam principium ipſis corporibus adhærens pro cauſa habet ordinis & connexionis corporum, ex mente *Heſiodi*, de quo infra dicendi locus erit. Hoc unum adducto loco volui probare, nimirum *Heſiodum* inter *Materialiſtas*, quod quidam contendunt, referri non potuiſſe. Videtur *Heſiodus* amoris nomine intellexiſſe neſcio quam cauſam particularum cohærentium & figuram ordine diſponentem, ſtatim enim in ſequentibus addit; *Empedoclem* contrarium etiam principium in natura obſervaſſe: unde meâ opinione ſimul ſequitur, fruſtra illos eſſe, qui aſſerunt *Heſiodum*, aliosque qui *Theogoniam*, ſeu *Cosmologiam* potius fabricarunt, ipſum Numen perfectiſſimum ex Chao repetiiſſe! Videntur æque ac *Jonici* poſt-habito primo omnium rerum principio, de cauſis phyſicis ſoliciti fuiſſe. Hinc *Lactantius* Lib. I. pag. 32. ad. *Walchii*: *Homerus, nihil nobis dare potuit, quod pertineat ad veritatem; qui humana potius, quam divina conſcripſit. Potuit Heſiodus, qui Deorum generationem unius libri opere complexus eſt. Sed ta-*

men nihil dedit, non a Deo conditore ſumens exordium, ſed a Chao, quod eſt rudis inordinataque materiæ confuſa congeries: quum explanare ante debuerit chaos ipſum unde; quando, quomodo eſſe, aut conſtare cœpiſſet. Nimirum ſicut ab aliquo artifice, diſpoſita, ordinata, effecta ſunt omnia: ſic ipſam materiam fictam eſſe ab aliquo neceſſe eſt. Quis igitur hanc niſi Deus fecerit, cujus poteſtati ſubjacent omnia? ſed refugit hoc ille, dum horret incognitam veritatem. Recte quidem *Lactantius* poſtulat, ut rerum omnium cauſam efficientem ſcrutemur; at difficile perquam fuerit, præſertim eo, quo vivebat *Heſiodus* tempore, *Creationem ex nihilo* probare. Si ipſam materiam conſideramus, nihil quidem in ea deprehendimus, quod notionem æternitatis ſummæque perfectionis includat; at ſi originem illius inveſtigamus, innumeræ occurrunt difficultates.

III.

Sed inſpiciamus ipſum Poëtæ librum & 1°. quidem Carmen *Opera* & *Dies* inſcriptum. In genere obſervamus, generis humani originem tribui *Enti Intelligenti*, *Jovi O. M.* Præterea homines & pœnæ & præmii capaces inducuntur, quos a recto veroque deviantes punit Deus, quo ipſo patet, *Heſiodum* Religionis curam habuiſſe, quamvis ſimul non negemus, quædam Deo indigna, ut *ſolenne* eſt *Poëtis*, admiſceri. In productione *Pandoræ* omnia Jovis conſilio facta ſunt.

Ἡφαιϛον δ' ἐκελευσε περικλυτον ὁττι ταχιϛα
Γαιαν ὑδει φυρειν, ἐν δ' ἀνθρωπϐ. θεμεν αυδην
Και ϛενος, ἀθαναταις δε θεαις εἰς ὠπα ἐισκειν.

i. e.

Vulcanum vero inclytum juſſit quam celerrime
Terram aquæ miſcere, hominisque indere vocem
Et robur, immortalibus verò Deabus facie ſimilem reddere.

Alia *Venus*, alia *Mercurius* in hoc negotio efficere debebant, addit Poëta, ὁι δ' ἐπιθοντο Διι Κρονιωνι ἀνακτι, *Illi autem obtemperarunt Jovi Saturnio Regi.* Quicquid igitur *Pandoræ* nomine intelligatur, de quo D. *Heinſii* obſervationes legendæ, patet, divino conſilio cuncta eſſe facta. Idem patet ex deſcriptione hominum quatuor illarum ætatum. Poſtquam *Poëta* inde a verſu 108. usque ad verſ. 122. mores vitamque Hominum aureæ ætatis deſcripſiſſet, addit:

Αυταρ ἐπειτεν τυτο γενος κατα γαια καλυψεν,
Τοι μεν Δαιμονες ἐισι Διος μεγαλυ δια βυλας,
Ἐσθλοι, ἐπιχθονιοι, Φυλακες θνητων ἀνθρωπων.
Οι ῥα Φυλασσυσι τε δικας καὶ χετλια ἐργα
Ηερα ἑσσαμενοι, παντη Φοιτωντες ἐπ' ἀιαν
Πλυτοδοται.

i.e. *Verum poſtquam hoc genus terra abſcondit,*
Ii quidem Dæmones facti ſunt, Jovis magni
conſilio,
Boni, in terris verſantes, cuſtodes mortalium
hominum:
Qui quidem obſervant & juſta & prava opera
Aëre induti, paſſim oberrantes per terram
Opum datores.

de hominibus *argentei Seculi* ait inter alia v. 135.

ὑβριν γαρ ἀλαθαλον ὀυκ ἐδυναντο

Ἀλλήλων ἀπέχειν, ἐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν
Ἣι θεμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα. τὸν μεν ἔπειτα
Ζευς κρονιδης ἐκρυψε, χολωμενος ὕνεκα τιμας
Οὐκ ἐδιδυν μακαρεσσι θεοις, οἱ ὀλυμπον ἐχουσιν.

i.e. -- *Injuriam enim pravam non poterant*
A ſe mutuo abſtinere, neque Deos colere
Volebant, neque ſacrificare beatorum ſacris in aris,
Ut fas hominibus ex more. Hos quidem deinde
Jupiter Saturnius' abſcondit iratus: quia honores
Non dabant beatis Diis, qui Olympum habitant.

Ita & tertia, quartaque generatio *Jovis Conſilio* orta, quintæ cum mentionem facit, ait:

O utinam ego quinto non intereſſem
Hominum generi, ſed aut mortuus eſſem prius
aut poſtea natus!
Nunc enim eſt genus hominum ferreum.

Poſtea deſcribit peſſimos hujus ætatis hominum mores & inter alia dicuntur σχετλιοι, οὐδε θεων ὀπιν εἰδοτες. Si hæc omnia ad rationis trutinam expendimus, ſequentia animadvertere licet: (1.) eſt homines non forte fortuito ex terræ radicibus altis, quod *Epicurus* volebat; ſed θεια quadam μοιρα in lucem editos, quæ manifeſte produnt, *Poëtam* credidiſſe Numen dari præſtantiſſimum excellentiſſimumque, quod in omnia jus habeat atque imperium. (2) *Poëtam* credidiſſe, dari diſcrimen inter *Juſtum* & *Injuſtum*, *bonum* & *malum*, aper-

te

te enim ſcelera damnat, virtutis vero præſtantiam & utilitatem laudat, hanc Deo placere, illa vero Numen averſari, unde concludendum eum juſtitiam & ſanctitatem Dei agnoviſſe. *Atheus* enim & numinis contemtor plane aliter primos mortales deſcripſiſſet, induceret ille primos homines ex terra & limo ortos; fingeret illos primo vitam ab omni metu liberam exegiſſe, atque genio ſuo indulſiſſe; ſucceſſiſſe poſtea homines quosdam fraudulentos & factioſos, qui rudibus hominibus perſuaſerint, eſſe *Numen aliquod* verendum; ementitos quædam rara & inſolita, quæ pro miraculis venditaverint inuſitata Deorum potentiâ factis; hanc Religionem poſtea tot *ſceleroſa*, & *impia facta* induxiſſe, illam omnium bellorum, rixarum &c. cauſam fuiſſe &c. breviter: *Horatii* verba ſua feciſſet, qui Serm. Lib. I. Sat. 3. rem ita exprimit:

Quum prorepſerunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus atque ita porro,
Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces ſenſusque notarent
Nominaque invenere: dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire & ponere leges:
Ne quis fur eſſet aut latro, neu quis adulter.

Ut longe aliter loquitur heic *Poëta.* (3.) Non ſolum diſcrimen aliquod facit *Poëta* inter juſtum & injuſtum; ſed & ſatis perſpicue docet, homines eſſe liberos, pœnæ ac præmii capaces, nullo neceſſario vinculo ad mala perpetranda conſtrictos.

Quod ſi quis *Numen* agnoſcat, quod recte facta adprobet, mala puniat, ab *Atheiſmo* prorſus immunis eſt.

IV.

Sed pergamus ad ſpecialiora. v. 267. Deo adſcribit *Omniſcientiam* v. poſtquam enim in Antecedentibus dixiſſet:

Sibi ipſi mala fabricatur Vir, alii mala fabricans,
Malumque conſilium Conſultori peſſimum.

Addit:

Παντα ἰδων Διος ὀφθαλμος καὶ παντα νοησας
Και νυ ταδ' αἰκ' ἐθελησ', ἐπιδερκεται, ὐδε ἐλήθει
Οιην δη καὶ τηνδε δικην πολις ἐντος ἐεργει.

Omnia videns Jovis oculus, omniaque intelligens
Et hæc (ſiquidem vult) inſpicit: neque ipſum latet
Qualenam hoc quoque judicium civitas intus exerceat.

Non poſſum autem, quin occaſione ſequentium verborum *Heſiodum* vindicem contra *Cl. Clerici*, cujus tamen merita nemo eſt, qui magis veneretur quam ego, *cenſuram.* Nimirum poſt verba immediate præcedentia ita pergit Poëta:

Ego porro nec ipſe nunc inter Homines juſtus
Sim, nec meus filius: quando malum eſt juſtum
Eſſe, ſiquidem plus juris injuſtior habebit.
Sed hæc nondum arbitror facturum Jovem fulmine gaudentem.

Ad

Ad hæc ita loquitur *Doctiſſimus Clericus : Virum Optimum non fuiſſe Heſiodum, ſi modo dicti hujus ſui memor fuerit, intelliget, quisquis ſecum animo reputabit, virtutem in hiſce terris nunquam fuiſſe vitio beatiorem, ſi omnia expendantur : imo vero ſemper fuiſſe graviſſimas querelas de infelicitate bonorum. Non ſatis ergo caute faciebat, qui virtutem ſuam pendere volebat ex felicitate, quam in hac vita a numine exſpectaret, & quam perpauci conſequuntur.* Vix crediderim verba eo tendere, quo trahit *Eruditiſſimus Vir*, ea in mitiorem partem facile interpretari poſſumus. Omnes naturâ ita comparati ſumus, ut quæ voluptatem adferre poſſunt, omnibus viribus deſideremus conſequi, tam alte illud deſiderium animo infixum eſt, tamque vehementer nos impellit, ut id penitus, dum vivimus, evellere non poſſimus : recte autem exiſtumamus, virtutem ad bene beateque vivendum certiſſimum atque præcellentiſſimum remedium eſſe. Quod ſi igitur ea eſſet ſemper vitæ noſtræ conditio, ut probi juſtique omnium mortalium eſſent infeliciſſimi, minus eſſet optabile juſtum eſſe, id eſt, omnibus miſeriis, & injuriis per omne ævum expoſitum eſſe : hæc, ſi ad vitam hanc præſentem reſpiciamus, ita ſe habere, nemo qui in ſe deſcendit, diffitebitur ; loquitur autem *Poëta*, ut vel antecedentia docent, de rebus ad vitam hanc ſpectantibus. Hoc largior Summo Viro, eos, qui de futuræ vitæ felicitate perſuaſi ſunt, æquiſſimo animo duriſſima quæque perferre poſſe, atque ſpe meliorum fatorum animum demulcere. Agnovit præterea *Poëta*, leges dari quasdam *divinas naturales*, ſecus ac *Athei* putant v. 274.

Ω περση, συ δε ταυτα μετα φρεσι βαλλεο σησιν
Καὶ νυ δικης ἐπακουε, βιης δ' ἐπιλησθεο παμπαν.
Τον δε γαρ ἀνθρωποισι νομον διεταξε κρονιων.
Ἰχθυσι μεν καὶ θηρσι καὶ οἰωνοις πετεεινοις
Ἔσθειν ἀλληλους, ἐπει ου δικη ἐστιν ἐπ' αὐτοις.
Ἀνθρωποισι δ' ἐδωκε δικην, ἡ πολλον ἀριστη
Γινεται.. i. e.

O Perſa, cæterum tu hæc in animo tuo repone,
Et juſtitiæ quidem obtempera, violentiæ vero
oblivíſcere prorſus.
Namque hanc hominibus legem poſuit Saturnius.
Piſcibus quidem & feris & avibus volucribus
Se mutuo ut devorent, quandoquidem juſtitia
carent.
Hominibus autem dedit juſtitiam, quæ multo eſt
optima.

Sane *Spinoza* in eo omnem poſuit juſtitiæ normam, ut nempe majus animal minus deglutiat: hinc etiam Poëta inde a v. 300. ſeqq. multas virtutes hominibus commendat v. 706.

Ἐυ δ' ὀπιν ἀθανατων μακαρων πεφυλαγμενος εἶναι
Bene vero reverentiam erga Deos immortales obſervato.

Obſervatione haud indignum eſt inſuper, quod *Heſiodus* v. 120. ſtatuat, homines aurei ſeculi, poſtquam recte factis ſe Diis probaviſſent, *Miniſtros Jovis, & Dæmones* factos. Apparet ex hoc (1) Antiquiſſimis temporibus *Dæmonum* exiſtentiam creditam fuiſſe, quanquam enim *Heſiodus* in eo ab Hebræis diſſentiat, quod Homines fuiſſe angelos ſtatuat; ſatis tamen quod ad rem ipſam ſpectat, patet, eum credidiſſe, dari naturas quasdam humanâ po-

potentia majores : Simile quid S. Literæ teſtantur de Angelis ipſis , qui poſtquam egregio aliquo ſpecimine , cujus tamen circumſtantias ſilentio tegunt, demonſtrarunt, quantâ in Deum ferrentur reverentia, majorem perfectionis gradum adepti ſunt, quam antea habebant. Patet (2) ex hoc loco *Heſiodum* credidiſſe, Deum recte factorum memorem eſſe, atque poſt hanc etiam vitam præmiis probos adficere, neque neceſſe eſt, ut dicamus eum has ſententias ab *Hebræis* accepiſſe.

Sola conſideratio Beneficentiæ divinæ ſtatusque hominum in hac vita facile in eam ducunt ſententiam.

Verſ. 216. Deum *juſtitiæ vindicem* eſſe ait :

-- -- -- Via verò altera perveniendi
Melior ad juſta : juſtitia enim injuſtitiam vincit
Ad finem progreſſa : ſtultus verò malo ſuo diſcit.
Continuo enim curſu ſequitur Jurisjurandi Deus
injuſta judicia.
Juſtitiæ vero fremitus excitatur tractæ quocunque viri duxerint
Donis corrupti , pravis poſtquam ſententiis deciderunt res.
Hæc verô ſequitur deſtens urbemque & ſedes populorum.
Aëre induta , malum hominibus adferens ,
Quique ipſam expellere ſolent , neque rectam ferunt ſententiam:
At qui jura tam peregrinis , quam civibus reddunt
Recta ; neque a juſto quidquam exorbitant
Iis floret urbs populique florent in illa

Pax

Pax verò per terram alma, neque unquam illis
Moleſtum bellum immittit late cernens Jupiter.

Similiter verſ. 248. ſeq.

O Reges, vos autem conſiderate etiam ipſi
Pœnam hanc, prope enim inter homines verſantes
Dii vident; quotquot pravis judiciis
Se mutuo atterunt, Deorum vindictam non curantes
Ter enim decies mille ſunt in terra multorum altrice
Dii Jovis, cuſtodes immortalium hominum:
Qui judicia obſervant & prava opera,
Aere induti paſſim obſervantes per terram.

Non igitur ex mente *Heſiodi* perinde eſt Deo, quid Reges Judicesque faciant, ſed curam agit rerum terrenarum ita, ut probos juſtique tenaces præmiis; juris contemptores & æqui pœnis adficiat: interim perſpicue dum pœnarum & præmiorum mentionem facit de altera vita non loquitur. Hinc ad verſum 227. ita commentatur *Eruditiſſimus Clericus: Cum hiſce temporibus immortalitas animi crederetur, mirum eſt in recenſione pœnarum & præmiorum alterius vitæ nullam mentionem fieri, quod & apud Homerum non uno loco videre eſt, perpaucos enim in inferis pœnas dare fingit, propter inſignia ſcelera; Elyſios vero campos implet non bonis, ſed celebribus viris, quales Heroës Troicorum temporum latrociniis, quam virtutibus clariores.* Hactenus Vir ſummus, qui & alibi eandem quæſtionem movet de *Hebræis*, cujus ex ſententia, nulla perſpiçua loca in V. Teſtamento deprehenduntur de præmiis & pœnis poſt hanc vitam: animus non eſt, in Theo-

logorum

logorum exſpatiari campum atque diſquirere, utrum adſertio Cl. Viri firmis præſidiis munita ſit; ſed quædam tantum, quæ ad *Heſiodi* allata verba elucidanda facere poſſe exiſtumavero adducam. In genere obſervo Cl. Virum fateri, ætate *Heſiodi* creditam fuiſſe mentis immortalitatem, quod & locus ante allatus de aureæ ætatis hominibus a Jove eminenti dignitate adfectis, probat. Hoc ſolum quæritur; cur hic & alibi rarenter inveniantur argumenta a vita futura deſumta, quibus homines ad virtutis ſtudium accenderentur. Crediderim igitur *Heſiodum* & *Homerum* dicta ſua ad genium, & indolem hominum ſuæ ætatis attemperaſſe. Eo ſeculo pauci erant qui virtute & eruditione cæteros ſuperabant. *Philoſophia* inter Gentes aut nulla erat, aut ſimplex, horrida, brevibus ſententiis comprehenſa, & vitæ uſui adcomodata, quod vel ex ſententiis Græciæ Sapientum deprehendere licet, qui a modernis ultra modum laudantur, veteris ævi ſtatum ex ingenio temporum noſtrorum & hominum metientes. Ipſi homines illorum temporum rudes, naturâque ad ea proni, quæ vitam tranquillam beatamque reddere poſſunt; ad ratiocinandum autem de rebus a ſenſibus remotis inepti, præſentium cupidi, futurorum incurii, corporisque cumprimis ante omnia curam habentes. Cum ejusmodi hominibus rationibus a futuræ vitæ ſtatu deſumtis agere conſultum haud exiſtimabant; vix enim ac nevix eæ adficiunt homines iis adſuetos opinionibus quæ ſenſus ferire aptæ natæ ſunt. Credibile igitur eſt, plerosque credidiſſe, Deum in hac vita & præmia & pœnas diſtribuere, perpaucis vero immotam perſuaſionem de præmiis & pœnis poſt

hanc

hanc vitam futuris, animis insedisse. Hi non minus quam priores, ex mente Poëtarum illorum, iis erant excitandi argumentis, quibus ipsos cessuros sperare poterant; vel hodienum in tanta luce, multi iis demum moventur ad virtutem rationibus, quæ ab utilitate ducuntur; Præterea homines illi non solum rudes erant rerum divinarum, sed & nuper demum ex agris collecti, in majores societates coalescebant. Hi cum antea neque lege, neque imperio cujusquam regerentur, feros illos mores, postquam in unum coierant, urbibus intulerunt; pars antea latrociniis, & trucidandis bestiis adsueta, pars colendis agris dedita, alii opere manuum vitam suam sustentabant, nihilque aliud in votis habebant, quam ut libertate a naturâ concessa perpetuo fruerentur. Hinc frænum, postquam legibus quibusdam invicem se obstrinxerunt inviti, patiebantur, neque societatis leges lubentes custodiebant, omne enim onus insuetis grave. Hinc non semel conspiratis factionum partibus turbæ & seditiones coortæ. Unde necesse erat, ut primi Sapientiæ Doctores hominibus argumenta, quæ ad æquitatis & justitiæ amorem inflammarent, adducerent, quæque ab utilitate harum virtutum manare solent; ut tandem sensim sensimque depositis feris moribus ad mansuetius vitæ genus transferrentur; quâ ratione facile deprehendere poterant, frugalitatem, comitatem, beneficentiam &c. mirum quantum conferre ad vitam hanc miseram suaviter & feliciter transigendam; rapinis contra, diffidiis, jurgiis, fraude, & scelesta malitia, perpetuo vitam reddi inquietam, turbulentamque. Hic igitur inter alius labor fuit Poëtarum, qui ut rudes homines

ad

ad magis compositos mores effingerent, cantilenis suis & fictis & veris fabulis utebantur. Hæ (salvo tamen meliori aliorum judicio) videntur rationes, quæ in causa fuerunt, quo minus futuræ vitæ præmia, vel pœnas, ob Oculos ponerent, hominibus sui temporis *Homerus* & *Hesiodus*. Interim in eo laudem non merentur Poëtæ illi: ut enim argumenta illa ab utilitate vitæ hujus petita facile rudiorum mentes capiunt: sic ab altera quoque parte, facile animadvertunt, virtuti non semper sua esse reposita præmia; unde nisi meliora edocti sunt, facile in gravissimos errores abripi possunt. Et hic sese exerit etiam *Præstantia Religionis Christianæ*. Discipuli enim *Jesu Christi* palam & frequentissime, ad futuram, eamque æternum duraturam provocarunt vitam.

§. V.

Adduximus hactenus ad defendendum *Hesiodum* loca ex opusculo de *Operibus* & *Diebus*. Pergimus *jam* ad Θεογονιαν, quæ plus negotii hoc in argumento facessit veri cupidis, versu 36. Musam ita adloquitur:

O tu a Musis ordiamur, quæ Jovi Patri
Canendo oblectant magnum animum in Olympo,
Memorantes & præsentia & futura & præterita.

Et paucis interjectis

.. .. *Hæ verò immortalem vocem emittentes*
Deorum genus venerandum in primis celebrant cantilenâ
Ab exordio, quos tellus & cœlum latum genuerunt
Quique in his prognati sunt Dii, datores hominum.

Ad ultima verba Poëtæ ita commentatur D. *Clericus. Probe inquit animadvertendum hic ſignari triæ genera rerum* I. *Terram & Cœlum, quæ ante omnes Deos, qui Heſiodi ævo maximi habebantur, fuerant.* II. *Deos ex hiſce genitos* ὁι Γ ἐκ τῶν ἐγενοντο θεοι δωτηρες, ἑαων *qui Dii ex hiſce geniti ſunt datores Bonorum, quos enumerat verſu* 116. ad 155. *Hi dicuntur ab Heſiodo Dii, quod nomen denegatur cœlo & terræ, ſuntque velut prior Deorum ætas.* III. *Altera eſt filiorum Saturni, quos ſignificat hoc verſu Heſiodus:* Δευτερον ἀυτε Ζηνα, θεων πατερ ἠδε καὶ ἀνδρων *hoc eſt, ſecundo loco Jovem, qui eſt Rex Deorum, qui nunc potiſſimum coluntur, & hominum, qui vivebant Heſiodi ævo & ſuperioribus aliquot ætatibus: duplicem hunc dantaxat ordinem Deorum norant, hoc eſt hominum in Deorum numerum poſt mortem relatorum; ſi altius originem eorum repeterent, nihil antiquius reperiebant, quam cœlum & terram, hisque vetuſtius chaos, nec ultra prograediebantur. Notio Dei horum conditoris adeo obſcurata fuit, ut de eo prorſus tacerent; aut etiam, ſi quæ ejus evanida veſtigia in eorum animis hæſerant, ea miſcebantur cum iis, quæ vulgo de Jove & æqualibus illi Deis ferebantur.* Ita Vir longe doctiſſimus, juvat mentem meam de hoc ſummi Viri judicio addere & (1) quidem fatetur ipſe Doctiſſimus Vir opuſculum *Heſiodi Opera* & *dies* inſcriptum non minus ipſum auctorem agnoſcere, quam Θεογονιαν: at in priore, ſecundum ea, quæ adduximus loca, quammaxime probabile eſt, *Heſiodum* Deum ſummasque ejus perfectiones, pro ætatis illius modulo agnoviſſe, quod nobis quidem hactenus ſufficeret. Neque cauſam video, cur eum *Atheiſmi* ſuſpectum habeam, quod in obſcuro θεογονιας opuſculo manifeſte de cauſa omnium rerum

crea-

creatrice verba non fecerit. Cauſam omnium rerum primam, quantum ex priori opuſculo locisque adductis patet, admiſit, ſive jam dicamus eum traditione hoc accepiſſe, ſive ratiocinatione inveniſſe: *prius* enim ſi admittamus, (quod tamen vix credibile) dubium non eſt, ſaltem vero quam maxime ſimile, Eum non cæco impetu opinioni huic album adjeciſſe calculum, ſed ad rectæ rationis normam acceptam traditionem exegiſſe; ſi *poſterius* denuo hoc noſtræ ſententiæ congruum eſt: quod ſi igitur cum Θεογονιαν conſcriberet, mentem mutaſſet, manifeſta magis hujus rei adeſſent teſtimonia, aut in ipſo opere exſtantia, aut aliunde depromta, neutrum autem patet. At inquis, cur minus perſpicue originem cœli, terræque ſupremo adſcribit rerum omnium Creatori? ego quidem me neſcire hoc fateor; interim tamen nollem ſtatim inferre, eum ideo negaſſe Deum rerum omnium creatorem: locutus eſt juxta temporum illorum guſtum atque hiſtoriam de rerum origine cum fabulis receptis commiſcet. Idem fecerant *Jonici Philoſophi*, quos plerique tamen Eruditorum a graviſſimo Atheiſmi errore abſolvunt. Si quis *Ethicæ* præcepta traderet, ſummumque Legislatorem agnoſceret, idem vero cum omnium rerum viſibilium initia panderet, nulla tamen cauſæ efficientis injectâ mentione, eum quidem minus recte facere exiſtumarem; at nollem ſimul adſerere eum negare, quod ante perſpicue tradidit, niſi aliunde perſuaſus eſſem eum dicis tantum cauſâ in Ethica Dei mentionem feciſſe. (2) Aut fallor, aut ipſe Doctiſſimus Vir alibi, nimirum pag. 81. in notis ad θεογονιαν mecum ſentit, ita enim ad verſum 464. loquitur.

Veteres Poëtæ τυχην *ignorabant, noverant* πεπρωμενην *seu* μοιραν *hoc est Fatum, sed nec immutabile putabant, nec Deos, quasi immutabile credidissent, se se gerentes inducebant, ut liquet ex hoc Hesiodi loco, vide & Aul. Gell. Noct. Attic. Lib. XIII. cap.* 1. *Interea hinc colligere licet ab antiquissimis temporibus notum fuisse, esse nescio quam Naturam Superiorem ipsis Diis, qui colebantur, ex cujus immutabili voluntate pendebant, quia nimirum Dii illi immortales fuerant, divinæ Providentiæ subjecti, quemadmodum cæteri homines.* Ita dum loquitur Cl. Vir, sententiam meam confirmat, non destruit. (3) Tandem dudum monuerunt harum rerum periti, veterum Θεογονιαν esse κοσμογονιαν, in ea enim ostendere voluerunt, quâ ratione ex chao, seu rudi illa indigesta mole cuncta orta sint, neque multum inter se differunt *Hesiodi, Aristophanis*, & *Phœnicum* θεογονιαι, licet adeoque unam ex altera explicare. In plerisque *Amor* causa efficiens esse videtur corporum hujus mundi. Sic *Orpheus* in *Argonauticis*, v. 419.

Πρωτα μεν αἰρχαιθ χαεος μιλιηφατον ὁμνον
Ως ἐπαμειψε φυσεις ὡς Τ' ἐρανος εἰς περας
ἠλθε
Γης Τ' ἐυρυσερνθ γενεσιν πυθυμενα θαλλασσης
Πρεσβυταιτυν τε καὶ αὐτο τελη πολυμητιν ἐρωἠν
Ὁσσα Τ' ἐφυκεν αἰπαντα διεκρινε τ' αλλον αἰπ'
αἰλλθ.

Hesiodus vero versu 115. Theogon.

Primo omnium quidem Chaos fuit, ac deinde
Tellus lata, omnium sedes tuta semper

Immor.

Immortalium, qui tenent Juga nivosi Olympi
Tartaraque tenebricosa, in recessu terræ spatiosæ:
Atque amor qui pulcherrimus inter immortales
Deos
Solvens curas & omnium Deorum omniumque
hominum
Domat in pectoribus animum & prudens consi-
lium.

Patet maximam hîc difficultatem oriri ex voce Ερως. Cl. Clericus in Commentario suo rem ita intelligit. *Hac voce Amor signatur, qualem in animalibus procreationis causâ cernere est. Is amor προσωποποιηθεις describit vim omnium genitricem, cui Hesiodus tribuit ortum rerum omnium. Qua in re tenue est & pæne evanidum vestigium naturæ melioris hoc est Dei, qui omnia creavit:* paucis interjectis ait *Hesiodum δημιουργικην δυναμιν absurde posteriorem Chao facere.* Ex hisce verbis vix liquet, quid tandem ipse D. Vir Amoris nomine intellexerit, non causam primam activam, intellectualem, dum posteriorem Chao fecit: Sed id quod in animalibus procreationem efficit. At quid hoc sit, denuo non adeo clarum, num principium activum simile naturæ plasticæ? An materia quædam actuosa? quod si priori sensu intellexisset D. Vir, non minus sane obscurum esset, quomodo principium aliquod activum intelligens, Deo inferius, ex Chao oriri potuisset. Doctissimus *Burnetus* huic objectioni sibi satis feciisse videtur *Arch. Philosoph.* Lib. 2. cap. 7. p. 132. dicens: *Quanquam hoc sensu Amor proprie non spectet ad hanc seriem rerum productarum ex Chao, cum quid immateriale sit, præextiteritque & præfuerit toti operi a principio ad finem: cum tamen ad certum usque tem-*

pus & terminum omnia essent fluida, confusa & tenebrosa: nondum nata erat mens secundum stylum antiquorum, quæ tum demum nasci & in auras prodire dicenda esset, cum ordo ille, forma & ratio compagis regularis emicare inceperit. Ita *Burnetus:* at dubito utrum ita difficultati Eruditus Vir satisfaciat, dum enim ait mentem præextitisse, atque toti operi præfuisse, manifesto supponit id, de quo quæritur; si *Hesiodus* dixisset mentem confusam materiam digessisse, & tum adparuisse *Amorem*, id est, mentis operi jugiter intenti insignem effectum, eo quo vult sensu interpretatio valeret: At dum *Hesiodus*, nulla mentione causæ primæ efficientis facta, demum post chaos amorem extitisse ait, non potest dici, Dei curam per mundum digestum manifestatam, nisi prius supponas auctorem Deum operi præfuisse. Accedit quod *Hesiodus* non demum in fine rerum omnium productarum adserat, tum extitisse *Amorem*, sed statim ac inordinatæ illius massæ, quam chaos vocant, mentionem facit addit; *atque amor* &c. Credideram aliquando *Hesiodum* aperte satis hic initio narrationis suæ duo rerum æterna principia tueri, nimirum v. 115. *primo omnium quidem chaos fuit.* i. e. Inter prima principia rerum fuit primo rudis & indigesta materia, ex qua deinde terra nata, cujus ideo mentionem facit, quod de illius origine quam maxime homines soliciti sunt. Vers. 120. sequi alterum æternum principium Hˇ δˇ ἔρος &c. Versu vero 123. Poëtam pergere. *Ex chao vero Erebusque* &c. id est, ostendere quomodo posito amore, infinita, at confusa corporum moles in suas partes distincta fuerit: At cum amoris illius in cæteris rebus, quæ ex mente *Hesiodi* producendæ erant,

nulla

nulla poſtea mentio fiat, huic conjecturæ non multum tribuo. Fateor nihil hic dici poſſe, quod omni ex parte certum & immotum ſit; quod ſi tamen mentem Heſiodi de origine omnium rerum cum *Phœnicum* Theologia, *Jonicorum* quorundam Philoſophorum ſententia, atque *Ovidii* θεογονια conferam, haud abſimile vero videtur, *Heſiodum* mentem primum cauſam efficientem omnium rerum agnoviſſe, neque tamen, quod oportuiſſet, ſtatim in limine ejusdem mentionem feciſſe; per amorem autem vim, ab ipſa mente creaturæ, ſeu corporibus impreſſam, unde omnis ordo repetendus, intellexiſſe.

Antiquiſſima certe veterum opinio fuit, duo eſſe æterna rerum principia, materiam autem ope Intelligentis ſubſtantiæ ornatam, hinc *Anaxagoras* παντα χρηματα ἦν ὁμου πεφυραμενα; ſtatum hunc diſſidii & confuſionis excepit *Amor*, ſeu ordo, qui amor ſeu mens, ut ejusdem *Anaxagoræ* verbis utar, τα πεφυραμενα δινησε καὶ διεκοσμησε, καὶ ἐκ της ἀταξιας εἰς ταξιν ἠγαγε. In antiquiſſima *Phœnicum* Theologia eadem reperiuntur principia *Euſeb. præp. Evang. Lib.* 10. ita rem deſcribit: ὁτι δὲ ἠρασθη το πνευμα των ἰδιων ἀρχων καὶ ἐγενετο συγκρασις πλοκη ἐκεινη ἐκληθη πυθος, αυτη δὲ ἀρχη κτισεως ἁπαντων. i. e. *Quum vero Spiritus amore ſuorum principiorum tactus eſt, factaque eſt commixtio, huic complexui nomen factum cupidinis, atque hoc erat principium procreationis omnium. Ovidius*, cujus θεογονια ex *veterum Poëtarum* ſcriptis elegantiſſime concinnata, mentem præficit mundo, dicens:

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Doctissimus equidem Walchius ad h. l. Ovidium in catalogum Spinozæ sequacium refert particulamque *&* pro *sive* interpretatur ita: *Deus sive natura, qui est ipsa natura, litem diremit.* At dubito utrum hoc loco naturam, pro *Universo* ex mente *Spinozæ* Ovidius intellexerit, cum enim versu 6to. dixisset:

Unus erat toto naturæ vultus in Orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles.

Nemo videt quâ ratione ipsa natura litem illam dirimere, id est, confusam illam indigestamque massam in ordinem redigere potuerit, v. 57. distincte causam mundi, ab ipso Universo distinguit: canens:

His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aëra permisit.

Clarius adhuc loquitur, v. 79.

Ille opifex rerum, mundi melioris Origo.

Versu 51. plagarum seu Zonarum originem a Deo, non natura repetit:

Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.

In eandem denique sententiam concedit πολυμαθεστατος *Plutarchus* in libello de *facie in orbe lunæ* pag. 772. Ed. Bas. quæ latine brevitatis causà dabo: *Res* inquit *mixtionem fugientes, & ab omni conjunctione abhorrentes, solitarieque, quæ principia rerum censentur, non admittentes ullam contempera-*

perationem altera alterius, omnem communicationem aversantes, suisque peculiaribus & contumacibus contentæ motibus, eo modo habebant quo universum; a quo Deus abest ut Plato dixit, id est, sicut se habent corpora animis destituta & mente, donec desiderabilis facultas Providentiæ venit in naturam, amicitiamque iis, venerem & amorem indidit, ut Empedocles, Parmenides & Hesiodus cecinerunt. At locum mutantes, & una alterius facultate impertita æliæque mansionis, aliæ motus necessitatibus illigatæ, pro eo atque natura ferebat, ut concederent, atque mutarentur, concentum quendam societatemque conficerent. Etenim si nulla mundi pars propter naturam fuit adfecta, sed unum quodque jacet, ut natum est, nulla translat:one, nulla mutatione indigens, quibus ne initio quidem opus habuerit, miror quodnam sit munus providentiæ, aut quid fecerit Pater ille & antisicioſissimus Opifex Jupiter. Non enim in exercitu opus est scientia ordines instruendi, si sua sponte quivis militum noverit, suum locum, ordinem & stationem, quam accipere debeat & tueri: neque usus erit Hortulanis, aut qui domos ædificant, si ibi aqua ultro adfluet plantis rigatione indigentibus; huic lateres ligna & lapides naturalibus motionibus per se in locum concinnitatemque desideratam coëunt; sin est, ut hoc ratio palam tollat Providentiam, Deoque rerum dispositio & divisio convenit, quid mirum sic ordinatam esse naturam, ut huic ignis, ibi astra, rursumque huic terra, superius luna sit collocata, arctiore rationis quam naturæ vinculo constricta. Hîc sane doctissimus Vir *Hesiodo* eam sententiam tribuit,

quam licet obſcurius, eum defendere voluiſſe, mihi quam maxime probabile videtur (†).

(†) Ex his quæ de *Heſiodo* dicta ſunt, conſtat, nihil certi, atque explorati de Religione ipſius dici poſſe. Hoc ſummatim conſtat, Poëtam antiquas Græcarum fabulas cum ſapientum de origine rerum omnium Decretis commiſcuiſſe, ordinisque nullam rationem habuiſſe. 2°. Per Amorem illum neſcio quod principium ipſi Poëtæ ignotum, quod partes hactenus ſciſſas conjunxerit, intellexiſſe & 3°. tandem in opere ἔργα καὶ ἡμέρας inſcripto, locutum eſſe, ut probabile ſit, eum omnipotentem rerum omnium Moderatorem admiſiſſe. Hinc & ipſe Cl. *Moshemius* notis ad *Cudworth*, pag. 117. 227. 268. ad ἐποχὴν confugit. Quis autem neſcit, eum harum rerum callentiſſimum eſſe? Confer de *Theogonia* veterum erudite & prolixe diſſerentem Celeb. Brukerum Hiſt. Critica Philoſophiæ Tom. I. qui ibidem oſtendit utramque in partem diſputari poſſe, utrum Theogoniarum Scriptores cauſam aliquam primam & intelligentem præfecerint nec ne. In re autem obſcura valde in mitiorem partem Auctorum cogitata interpretanda.

Vete-

Veterum Helvetiorum FORTITUDO

contra

JO. CONR. SCHWARTZII, v. Cl. JUDICIUM ASSERTA.

Ad

VIRUM CLARISSIMUM

JOAN. CHRISTOPH. ISELIUM,

J. U. D. Sereniſs. Margravio Bada-Durlac. a Conſiliis Aul. Academ. Arcadum & Corton. Socium, &c.

SIMUL ut inveſtigandis patriæ antiquitatibus animum diligentius adjeci, peroptabam inſpicere celebris *JOANNIS CONRADI SCHWARTZII ad Leibnitzium Epiſtolam*, qua veteris Helvetiæ fines ad Oenum usque in Rhætiam produci debere, *ſe copioſius probaſſe. & luculentius demonſtraſſe*, ſcribit in *Obſervatione* ſubjecta Geographiæ antiquæ *CELLARII Vol. I. p.* 227. Nec enim vel locis Scriptorum, vel argumentis, quibus hanc conjecturam adſtruere conniſus eſt in *Obſervationum Supplementis*, alteri Cellariani illius operis Volumini præmiſſis, mihi eviciſſe videbatur, *Mœnum* Oeni loco poſitum a Tacito (1) fuiſſe,

(1) De Mor. Germ. *cap.* 28.

fuiſſe, aut ex *Oeno* Mœnum Librarios ibi formaſſe. Cujus tamen erroris vel incuriæ præſumptioni tota *Schwartzii* opinio incumbit.

Nullos proin ego in hac ejus aſſignatione finium Helvetiæ *Limites apertos*, ut menſoribus dicebantur, cernens, verebar ne Viri Clari beneficium Helvetiis calumnioſe defenderem, aut repudiarem ingratius. Quarum culparum utramque melius cavere me non poſſe ducebam, quam judicii ſuſpenſione, usque dum ſcilicet ex Epiſtola, quo lectorem amandat Schwartzii *Obſervatio*, quæ hoc de argumento protulit omnia curatius explorata haberem.

Sperabam inſuper fore, ut mihi Opuſculum illud eſſet inſtar *Sanctuarii Cæſaris*, Provinciarum agrorumque formas exhibentis (1), ubi minimum *Terminos Auguſteos* Helvetiæ antiquæ reperirem ſignatos. Quippe ſuſpicabar tales fortean viſos eſſe Schwartzio cippos illos duos lapideos rotundos Julii Montis apud Rhætos, haud procul admodum Oeno hodienum extantes (2). Cujus modi terminos in locis montanis Romanos figere conſueviſſe, & *Auguſteos* vocaſſe, quod Auguſtus eos recenſuiſſet, & ubi fuerant lapides conſtituiſſet (3), optime noſti. Colorem certe docti Germani conjecturæ addidiſſent cippi iſti ſpecioſiorem quovis ejus argumento.

In-

---

(1) Sicul. Flaccus. *de condit. agror. p. m.* 19.
(2) Scheuchz. *Orograph. Helvet. p.* 186.
(3) Vid. *Autor. fin. regund.* p. 261. Edit. Rigalt.

Invaleſcebat vero apud me Libellum Schwartzianum evolvendi cupido, quum de imaginaria Helvetiæ Sequanos inter & Rhœtos diviſione Vitellio affiƈta, triumque harum Gentium annalibus intruſa, ſollicitus eram. At indoluiſſem adhuc impenſius, fruſtra meam in Opuſculo perquirendo diligentiam fuiſſe, ſi nonnulla ad Taciti de Helvetiis dicta, ſecus omnino ac factum hactenus ab eruditis eſt, intelligenda, Schwartzium ibi periclitatum etiam eſſe, audiviſſem: quod ex ipſa tantum ejus ſcriptione didici: cujus Tu, Vir Clariſſime, mihi haud amplius de ea cogitanti, copiam amice nuper feciſti.

Et oculis eam me non uſurpaſſe prius, quam publico dederim, quæ ad hunc Taciti locum contra Germani alicujus eruditi dubia tuendum, occurrebant (1), hoc unum conſolationem affert, quod ſpem mihi feceris, Te deſignationem limitum Helvetiæ ab Schwartzio excogitatam ſub examen revocaturum. Quin namque ſimul hujus conjectanea de ſenſu verborum Taciti, pro eruditione perſpicaciaque, qua vales, ſingulari, vel fulcias ſolidiſſime, vel evertas omnino, nihilo magis dubito, atque quin hac opera lumine perfundas, quantum res feret, tempora illa Hiſtoriæ Helveticæ obſcuriora, quibus non niſi debiles quosdam lucis radios immittere potis ego fuiſſem.

Tibi propterea relinquam ad elucidandum quicquid eſt argumenti terminalis, & conjecturarum inter-

(1) Mem. ſur l'Hiſt. Anc. de la Suiſſe, *Tom. I. p. 29.*

interſitarum, Epiſtolam debita gratiarum actione hic clauderem, ſin ad officium propugnandi famam Fortitudinis veterum Helvetiorum exequendum accincto liceret intactam præterire Schwartzii ſententiam, ſuperioribus æque ſingularem, injectam quoque eidem Opuſculo, & ad propoſitum Tuum minus ſpectantem.

Enimvero, quæ, obſecro, digna magis eſſe poſſit animadverſione, quam iſthæc infectatio? (6) *Ad Cimbrorum adventum quieti, pacisque ſtudioſi Helvetii. Cimbris adjuncti, fuerant cæſi victique. Strab. VII. p.* 461. *Iterum deinde a Cæſare debellati. Ubi igitur illa fortitudo, quam Cæſar prædicat?*

Vides, hac interrogatione vicem fungente negationis, & Cæſari & Helvetiorum fortitudini graviorem per ſe, atque autoris celebritate nocentiorem, abs Schwartzio injuriam inferri, quam conamine corrumpendi locum Cæſaris, quo Criticus ſub Literis J. C. H. deliteſcens in *Miſcellan. Lipſ. Nov. Vol. II. Part.* 2. geſtivit inclareſcere. Solam quippe iſte famam præcellentiæ fortitudinis ſupra reliquorum Gallicæ Celticæ populorum virtutem ab Helvetiis ad Belgas transferre ſuscepit. Cæſari vero quoviscumque loco modove fortitudinem Helvetiorum laudanti fidem abjudicat omnem Schwartzius. Quod qua injuria ab eo factum ſit niſi palam fiat, parum utilem Helvetiorum illorum memoriæ præſtitimus operam, inconſideratum loci Cæſaris ſollicitatorem depugnando.

Nam-

(6) Schwartz. *Epiſt. ad Leibnitz. p.* 12: *in not.*

Namque genuina an interpolata aut ſubditicia ſint ejus loci verba nil utique refert, ſin exaratis manu Cæſaris, quæ Gentis fortitudinem reſpiciunt, fidei plus haud ſit adhibendum, ac ſi librarii aut Gloſſatoris calamo fuerint allinita textui.

Schwartzio certe qui credulus erit, elogiis Helveticæ fortitudinis a Cæſare conſignatis minus tribuet, quam Commentatoris cujuslibet gloſſemati. Quid? quod hinc etiam inferet haud abſurde, ne vulgaris quidem fortitudinis laudem Helvetiis uſpiam adſcribi, vix ullo præter Cæſarem vetere ſcriptore hac eos nominatim ornante.

Tum igitur demum antiquiſſimæ eorum gloriæ fortitudinis proderit, expunctum fuiſſe Critici J. C. H. ſomnium, quum in tuto collocata fidelitas Cæſaris erit adverſus Schwartzii ſugillationem. Iſtud autem curare eos, opinor, inprimis decet, qui præoccuparunt aliquatenus argumentum: Nempe, quo penſum operis incepti peragant. Qua in parte ſi Clariſſimum *BREITINGERUM* præcurro, quemadmodum is, altero noſtrum alterius propoſitum ignorante, me prævertit in refutando J. C. H. hoc ſolummodo fine primus exſurgo, ut, quibus impar ero, ſuccedens Triarius ille conficiat.

Et huic officio ſatis haud dubie in diſputatione cum J. C. H. alteruter feciſſet, niſi tum utrique pariter inaudita Schwartzii in Cæſarem & Helvetios invectio illa fuiſſet: quam nec divinus prævidiſſet. Ut ut enim argumenti hiſtorici ſtudio incumbentes undique circumſpiciant eo quadantenus

tenus pertinentia, ſin intra juſtæ ratiocinationis regulas conſiſtunt, eis alia ſane non occurrunt dubia, teſtimoniis vel famæ objicienda, quam quæ vel ex natura, vel ex ſerie, vel ex adjunctis factorum, vel ex indiciis teſtium fidem aliquantum infirmantibus, ſuboriri queunt. Hæc niſi præſumat, explicet, diſſolvatque ſcriptor, eſt profecto reprehendendus. Imaginaria vero, meris quæ tantum erroribus facti, ac παραλογίσμοις etiam manifeſtis adſtructa, quod hariolatus non ſit, nec ideo diſpulerit prædamnando, nemo culpaverit æquus. Ejusmodi autem eſſe utramque Schwartzii in loco jam excutiendo aſſertionem, quamque ex eis elicit conſecutionem, facile pateſcet expendenti ſingula.

Bellicos in Helvetiis ſpiritus ante Cimbrorum ad eos acceſſum viguiſſe nullos, primus eſt a Schwartzio conceptus, heicque præmiſſus error. *Ad Cimbrorum adventum*, inquit, *quieti pacisque ſtudioſi Helvetii.*

Poſſunt hæc quidem verba, ſi quam ſtrictiſſime accipiantur, quæ gentis indoles eſſet, Cimbris adventantibus, ſolummodo ſignificare. Sed ad ſcriptoris propoſitum ſic attendas, tempora etiam anteriora Cimbrico bello eum in animo habuiſſe, dubitaveris eo minus, quo virum perſpicacia, eruditione, atque judicio magis valuiſſe exiſtimaveris. His namque præſtantem adnotationi lineolarum trium duntaxat rem intuliſſe inſtituto ſuo uſus plane nullius futuram, minime credes. Animadvertes certe continuo, negantem abſolute fortitudinem Helvetiorum,

hujus-

hujusque negationis rationem, unico & paucorum quoque verborum argumento decretoriam exhibere volentem nihil hoc juvari, quod *quieti ac ſtudioſi pacis* Helvetii fuerint in puncto illo temporis, quo prodiere Cimbri; niſi tum primum Helvetios ſeſe moviſſe belloque dediſſe, ſimul is ſtatuat; Ut videlicet perſuadeat, nulla ante id tempus fortitudinis documenta gentem edidiſſe. Quo modo quum Schwartzianam hanc propoſitionem intelligo, ab ejus mente nihilo magis atque ab latini ſermonis proprietate alienam ſententiam ei haud affingo, diſputandi ratione ingenuo pudenda. Id quam ex vero profitear, clarius elucebit dicendis inferius.

Huic autem ſententiæ nomen erroris addere nil vereor : Cui, tametſi de eo refellendo Epiſtolam ad Clariſſimum *Breitingerum* hujus *MUSEI HELVETICI Part. XXV.* inſertam exarans non cogitaram, aliud agens obviam ivi in anteceſſum, eumque locis veterum geſtisque Helvetiorum ibi expoſitis tantum non confutavi. Hæc vero rurſus heic deſcribendi tædium ſubire ne cogerer, viſum eſt hasce Literas primæ illi Epiſtolæ adjungendas emittere ſine mora; ſaltem antequam illa excideret lectoris memoria. Etenim eorum non oblito manifeſtum eſſe puto, nil Cæſarem de fortitudinis Helvetiorum excellentia ſcripſiſſe, deque eorum indole, quod a veterum aliorum, quorum intemerata viget autoritas, dictis ſit abſonum: qua ratione ſuſpecta reddi queat Cæſaris in his fides, nuda recentioris, quantum libet clari, conjectoris accuſatione, haud equidem apparet.

Ea profecto nihil movebitur primam duntaxat

Gallorum trans Alpes expeditionem, ac quæ partes Helvetiorum in ea fuerint, ad memoriam revocans. Quas quum probabilibus admodum conjecturis explicatas vidisse meminerit, ingenio Helvetios fuisse ad ardua periculosissimaque paratissimo, dudum certus, hanc sibi notionem eripi neutiquam siverit. Id genus autem ingenia an per otium pacisve studium, an audacia fortitudineque informentur, anceps ipsi non erit quæstio.

Gallorum per Italiam hinc a prima illa invasione, usque dum Romanorum omnes jugum subierint, tot numero fuere tumultus, ut iis tandem *assuevisse, & plures prope de Gallis triumphos, quam de toto terrarum orbe Romanos egisse*, Manlius diceret (1). Hæc autem bella, quorum ultimo, *nullum vel obstinatione animorum, vel militum audacia, vel atrocitate prœliorum, vel multitudine interfectorum, vel numero copiarum majus aut audiverat aut legerat* Polybius (2); qui et Gessatarum a Gallis conductorum millia triginta huic interfuisse, memorat: hæc, inquam, bella si quis generatim modo cogitet, nec ejus ævi gentium, Gallicarum in primis, mores ignoret prorsus, ægri somnia narrari sibi putabit a dicente, deditos adeo tranquillitati otioque interea vixisse Helvetios, ut vicinis se se ad incepta illa socios numquam adjunxerint: quod tamen affirmatione Schwartzii continetur implicite.

Gessa-

---

(1) Liv. *Lib.* 38. *cap.* 17.
(2) Lib. 2. cap. 11.

Geſſatarum, quorum a Polybio mentionem fieri modo dixi, audito nomine, mox ſuccurret veteris hiſtoriæ non imperito, hac appellatione cum *Polybium*, tum *Plutarchum* & *Oroſium* Helvetios etiam deſignaſſe, ut *Stumpfius* pridem monuit, & comprobavit *Guillimannus*. Recordabitur itaque vix unum Gallos ſeu cum Romanis egiſſe bellum, ſeu cum Gallis aliis, absque Geſſatis, ac conſequenter absque Helvetiorum auxiliis: maxime vero impreſſum memoriæ reſtabit, Geſſatas, adeoque Helvetios, & *fortes* & *gloriæ cupidos* & *audaces* a Romanis habitos, ob egregia ab eis geſta. His ſane laudibus Geſſatas ornat *Polybius*, de Gallorum cum L. Aemilii pugna loquens: *Ita*, inquit (1), *cum bifrontem aciem inſtituiſſent* (Galli), *accidit eam non modo terribilem aſpectu, verum etiam ad pugnandum efficaciſſimam eſſe. Boii quidem & Inſubres eos requirebant qui & ſubligaculis & ſcutis expeditiores eſſent. Geſſatæ vero gloriæ cupiditate audacique fortitudine* (2) *hujusmodi*

---

(1) Lib. 2. cap. 8.

(2) Sic accurate magis, ut opinor, exhibentur Græca, διὰ τὴν φιλοδοξίαν καὶ τὸ θάρσος, quam a Perotto, cui ſignificant, *ob magnitudinem animi & incredibilem gloriæ cupiditatem.* Sane magnitudo animi comes ſemper individua non eſt *Fiduciæ* ſeu *audaciæ*, quæ Græcis proprie θάρσος dicuntur. Geſſatis igitur plus virtutis tribuit Perottus, ac Polybius: minus vero, nec ſine contumelia, qui vertunt, *Geſſatarum vero tanta fuit VANITAS, tanta confidentia, ut* &c. quæ leguntur in FUESLIN. *Epitom. Hiſt. Helv. ant. Lib. I. cap.* 7. §. 1.

abjectis, nudi tantum cum armis (1) *ante omnes ſtabant, rati per eum modum aptiores ſe ſe & magis expeditos ad bellum fore. Si quidem denſæ in iis locis ſentes implicarent veſtes, & armorum uſum præpedirent.* Geſſatarum ſeu Helvetiorum illorum poſteros haud quaquam degeneres agnoſcas in Helvetiis cum Cæſare dimicantibus; qui *quum ſiniſtra impedita* (ſcuto) *ſatis commode pugnare non poterant, præoptabant ſcutum manu emittere & nudo corpore pugnare* (2). Quæ *Polybii* & *Cæſaris* loca duo jam inter ſe contulerat *Plantinus* noſter (3). Et ad Polybii locum jam his verbis ſcripſerat Guillimannus (4): *Sane Helvetios ad patrum usque memoriam nudos prope pugnaſſe, ſola caſſide contentos, aut ſummum lorica ferrea ſibulis contexta, non noſtri ſolum ſcriptores, ſed exteri prodidere.*

Cui quietæ & ad pacem factæ gentis prolata hæc ſpecimina videbuntur, ei contraria contrariorum indicia omnino ſint, oportet.

Verum non iſta tantum, cum eis juncta, quæ Clariſſimi *Breitingeri* judicio per Epiſtolam ſubjeci, *Schwartzium* ab improbabilis adeo opinionis ſuæ errore debuiſſent avertere: ſed vel unico

---

(1) Solebant equidem Galli pugnare nudi, ſed ad umbilicum duntaxat. LIV. *Lib.* 20. *cap.* 46. Hi Geſſatæ toto corpore, ſentes inter in vepreto nudi certare non ſunt veriti.

(2) Cæſar. de B. G. *Lib.* 1. *cap.* 25.

(3) Helv. ant. & nov. *cap.* 23.

(4) De Reb. Helv. *Lib.* 1. *cap.* 6.

unico *Strabonis*, quem, quasi Scriptorum omnium hic instar esset, solum adhibuit, verbo procul hinc abductus fuisset indubie vir ille eruditus, si quæ hoc indicentur, prius ponderasset. Enimvero πολυχρύσους ἄνδρας, *auri multi viros*, Cimbrici belli tempore, Helvetios Strabo dicens (1) peritum antiquitatis clare docet, has divitias non nisi bello Genti partas fuisse. Quod, si res haud esset paulo prolixioris excursionis, probarem evidenter. Unde manifestum fieret, tantundem Helvetios *auro divites* nuncupando, dicere Geographum, atque si scripsisset; bella eos gessisse frequentia in populorum auro abundantium finibus, unde victores in Helvetiam referre soliti erant magnam auri vim. Quæ cum quietis amore pacisve studio nunquam in Gente conjunxisset *Schwartzius*.

At audire mihi videor dicentes, audaciorem me esse, qui *Straboni* obloquar, cujus hic merus interpres sit *Schwartzius*, haud utique damnandus, quod *pacis studiosos* crediderit, quos Geographus ipse, gravis profecto testis, Εἰρηναίους vocat: Argumentis hinc inde, longeque etiam, petitis, si sic liceat scriptorum id genus classicorum fidem atterere, futurum, ut certitudo veteris historiæ omnis facile convellatur: Eo tentamine, duplici me piaculo obstringere; altero Straboni, altero popularibus nostris: prius postulatione falsi contineri; posterius conjectura, quos propugno, Helvetios dedecorante; quando, ne pacis studiosos eos agnoscam, latrociniis dudum ante Cimbricum bel-

(1) Lib. 4. cap. 193.

lum deditos fuiſſe, comminiſcar: cujusmodi defenſione carere præoptaverint omnino priſcorum Helvetiorum filii, quam tanto claræ majorum ſuorum famæ impendio fortitudinis eorum laudem contaminari.

Ego vero, ab ultimis incipiens, reſpondeo, Gentis honori quicquam detractum certe me non ire, qui ne laude communi populis inter vetuſtiſſimos nobiliſſimis injuſte fraudentur Helvetii, hac diſputatione contendo. Nec latrociniis vel ante Cimbricum bellum eos ſibi nomen feciſſe, quod aſſeram, eo me famam eorum obſcurare, peritus antiquitatis ullus accuſaverit. Singulis namque notiſſimum eſt, non ad præcepta Philoſophiæ, humanitatis vel juſtitiæ, ſed ad vulgi cupiditatisque ſenſum compoſita opinione, fortitudinis palmam gentibus antiquitus delatam fuiſſe, quæ latrociniis ejusmodi præ ceteris invaluiſſent: ut nec vel levis notæ macula tum huic acquirendi modo inuſta moribus eſſet; gallicis præſertim. Immo contra pro titulo Gallis fortitudo erat: quo uno etiam qui primum Hetruriam invadebant, uſos eſſe tradit Livius. *Romanis enim quærentibus ecquid in Etruria Gallis eſſet? illi*, inquit (1), *ſe jus in armis ferre, ferociter dixerunt.*

Germanorum animos idem tenebat error: quem idcirco prudens vitio minime vertiſſet *Schwartzius* conterminis eorum Helvetiis. Omnium vero minime illis exprobabunt eruditi Germani

(1) Lib. 5. cap.

mani, Germania ortos Helvetios hinc etiam probari cenſentes, quod latrociniis gens haud abſtinuerit (1). Tantum certe aberat ut apud Germanos infamiam aliquam haberent latrocinia, quæ nullam habuiſſe *Cæſar* diſerte tradit (2), ut eorum nequidem puderet, teſtante *Mela* (3). Quin immo, *hoc proprium virtutis eos exiſtimaſſe, expulſos agris finitimos cedere*, idem *Cæſar* refert.

Strabonem quod attinet, ei quidem minime negaverim, Helvetios Εἰρηναίους fuiſſe, quum appulerunt Cimbri. At *pacis ſtudioſos* extitiſſe ad hoc usque tempus, *Strabonem* hac voce ſignificare, iſtud eſt, quod *Schwartzio*, ſic male, ut puto, vocem interpretanti, non concedo: nihilo magis atque *Aventino* pariter vertenti (4), *in pace vitam agentes*. Cujus mei ab illis diſſenſus ne leves Tibi cauſæ videantur neutiquam vereor, ut pote quem regulis ſanæ critices tueri poſſim.

Quarum certa quam vulgaris una hæc eſt non minus: Non unius ſignificatus vocabulum accurati ſcriptoris, eo potius ſenſu, qui eſt ad ingenium populi,

---

(1) *Helvetiorum lingua, ſtudium rei militaris, LATROCINIA, aliique mores, quibus deſcribuntur, eos potius Germanos origine*, (quam Gallos) *fuiſſe innuunt*. Verba ſunt DITHMARI in not. ad Tacit. *de Mor. Germ. cap.* 28. *not.* 2.

(2) De B. G. *Lib.* 6. *cap.* 23.

(3) Lib. 3. cap. 3.

(4) Annal. Boior. *p.* 30.

puli, de quo loquitur, aliunde notum accommodatus, ſumi ab interprete debere, quam alio ullo ſenſu vocabuli illius.

Hanc regulam ſi ſequamur, *Straboni* profecto non affingemus, eum *pacis ſtudioſos* Helvetios, vocabulo Εἰρηναίους adhibito, dicere voluiſſe. Indolem enim, (qua de ipſi ſermonem ibi nequaquam eſſe, probabitur in ſequentibus,) Helvetiis tribuiſſet, cum exploratis eorum geſtis nullo modo conſiſtentem. Id unum de gente monere illic recte duxit, in pace tum eam degiſſe, quum advenerunt Cimbri. Quod haud ignorare lectorum intererat, ut cur liberius atque majore copiarum numero, non alio impediti bello, Helvetii ſe ſe ſocios adjunxerint hoſtibus illis Romanorum, melius intelligatur.

Sic utique genuinæ Græci vocabuli acceptioni (1) inhærentes, veram *Strabonis* mentem ſunt aſſequuti Latini ejus Interpretes: altero Εἰρηναίους per *pacatos*, altero per *in pace degentes*, eam exhibente. Omnibus autem curatius Germanice Cl. *Laufferus* his, prorſus ad ſenſum meum, verbis expreſſit: *Die* DAMALS *in frieden.. ſaſſen.*

Ut vero facilis eſt ejusmodi lapſus locum Auctoris obiter duntaxat inſpicienti, nec ad orationis finem ac ſeriem exigenti, aut cum aliis Auctoris ejusdem locis comparanti, in eundem, quo

(1) Vid. Suidas. v. Εἰρηναῖος.
(2) Geſch. der Schweitz. *Tom. I. pag.* 95.

quo ſe ſe Schwartzius implicavit, errorem inciderunt nobiles alii eruditi. Quos inter *Sti. Albini Marchio Gendræus* eſt, qui Strabonis Εἰρηναίους ἄνδρας Gallice vocat *Peuple tranquille* (1) indefinito Epitheto.

Ubi ſcriptoris verbum diverſimode poteſt accipi, eum eſſe aliis quibusvis præponendum intellectum, qui quam minimum abit a probatorum de re eadem ſcriptorum reliquorum dictis, alterum præceptum eſt priore haud minus certum atque tralatitium. Atqui Schwartziana Strabonis interpretatio Geographum hunc cum Hiſtoricis *Cæſare* ac *Tacito* committit.

Quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt (Helvetii), *quum aut ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt*, ea de cauſa Helvetios quoque reliquos Gallos virtute præcedere, teſtatur *Cæſar* (2). Prius equidem neceſſitatis erat ſua tueri, non animi inquieti, aut avidi prædæ: poſterius, cupidorum belli, idque ultro inferentium: utrumque vero gentis non inertis, otioque torpentis, ſed fortis omnino. Quid autem his adverſum magis tradere *Strabo* potuiſſet, quam pacis ſtudioſos hos ipſos Helvetios vixiſſe?

Geographum *Tacitus* haud dubie legerat. Illa vero ſin ad *Schwartzii* ſententiam accepiſſet, putasne,

(1) Antiq. de la Nation & de la Monarchie Françoiſe, *pag.* 262.

(2) De B. G. *Lib. I. cap.* 1.

id eum ſcripturum de gente noſtra fuiſſe, *olim armis virisque, mox memoria nominis claram* (1) extitiſſe? Nec Helvetios Gallorum eorum in numero habuiſſet, quos *credibile*, ait *eſſe transgreſſos in Germaniam* (2), eamque ejus partem tenere, quæ ſilva Hercinia, Rhenoque & Mœno amnibus includitur. Ambiguus ſane non erat acris judicii hiſtoricus, num ſtudioſa pacis, an vero bellicoſa gens ea eſſet, quæ has regiones occupaſſet. Niſi tum adhuc incolis, quos depellere vel ſubigere fuiſſet opus, deſtitutas oras illas Germaniæ opimas, improbabili conjectura crediderat.

Hiſtoriæ Scriptores illos cum Geographo ad concordiam reducere fruſtra tentaretur, dicta cujusque diverſis temporibus aſſignando : Quod a *Schwartzii* mente alienum etiam eſſet : Tempora namque is, ut dictum, intelligit anteriora Bello Cimbrorum haud finite : adeo, ut ad Gentis Helvetiæ primordia quoque proferre illa liceat. Quæ tempora nequaquam excludit *Cæſar*, cujus fidem ſequutus eſt *Tacitus*, de priſca ætate loquens, qua Gallorum, quam Germanorum res validiores erant.

Hoc argumento, fateor, minime feritur *Schwartzius*, neque Scriptorum ullus, cui inſedit opinio Germanos origine Helvetios eſſe, atque ſedes indicatas *Tacito* in Germania tenuiſſe prius, quam occuparint Helvetiam. Verum hoc

errore,

---

(1) Hiſt. *Lib.* 1. *cap.* 67.
(2) De Mor. Germ. *cap.* 28.

errore, quem ſuo loco profligavi (1), non conſtrictis, quin momentum in hac diſputatione videatur habere manans illa e *Taciti* traditis inductio, nihil dubito. Et ſatis me dictis primam *Schwartzii* aſſertionem ſic evertiſſe, reor, ut quicquam eis addere ſuperſedeam.

Altera his verbis continetur: *Cimbris adjuncti* (Helvetii) *fuerant cæſi victique. Strabo VII. pag.* 461. (2).

Quantumvis haud verior priore hæc aſſertio ſit, eſt utique excuſabilior multo. Ei ſane, cujus culpa omnis in hoc reſidet, quod ſibi haud ſatis caverit ab errore neque recente, neque ſingulari, & ab his ipſis etiam, quibus damno eſt, non admiſſo tantum, ſed affirmato quoque ac mandato poſterorum memoriæ, parata ſane venia prolixior eſt, quam auctoribus ejus. Certe non exteri modo, verum etiam eruditi Helvetii *Stumpfius* (3), *Simlerus* (4), *Plantinus*, veterum dicta referre ſe putantes, victos a Mario in Provincia Helvetios, diſerte pridem ſcripſerunt: priores duo verbis expreſſis; ultimus generalioribus (5). Nec vel leviſſima ſuſpicione publice ten-

---

(1) Mem. ſur l'Hiſt. Anc. de la Suiſſe, *Tom. I. pap.* 29.

(2) Editionis Almelovenianæ, *cap.* 294. *init.*

(3) Chronic. *Lib. IV. cap.* 12.

(4) Antiq. Helv. *Mſc. Lib.* 2.

(5) Cette grande multitude de barbare fut defaite par Marius en Provence. *Abregé de l'Hiſt. de Suiſſ. pag.* 11.

tentatam hanc opinionem hucusque fuisse, comperi. Hæc autem si una ex parte, ut *Schwartzium* ejusque sententiæ socios indulgentius habeamus, præcipiunt; altera ex parte, ut patriis Annalibus ab hoc errore purgandis operam demus eo diligentiorem, quo sunt opiniones tralatitiæ, scriptisque passim vulgatæ in hominum animis tenaciores, plane jubent.

Atqui quum uno prælio bellum conficere volens, hostem aggredi debeat debiliorem ubi vires ejus maximæ simul consistunt; ita error, ubi maxime cum argumentis tum testibus stipatus deprehenditur, est oppugnandus. Nullibi autem is, quem eversum eo, his copiis, & numero & dispositione speciosius instructus mihi occurrit, quam in CLUVERII *Germaniæ Antiquæ, Lib. II. cap.* 4. Quæ si dispellam omnia, quove modo insigni Geographo fucum fecerint, ostendam, locum porro, quem usurparunt in historia, non habebunt amplius.

Duos e quatuor Pagis in quos divisam esse Helveticam Civitatem, Cæsar ait, non nominatos huic Scriptori, *Cluverius* investigans aliunde, sic incipit: „ Nationes in bello Cimbrico adversus „ Romanos reperio fuisse quinque istas: *Cimbros*, „ *Teutonas*, *Tigurinos*, *Ambronas & Tugenos*. So„ los Cimbros e Germania junctis copiis pro„ fectos, omnes pariter docent auctores, quot„ quot hujus belli meminerunt. *Strabo* tria Hel„ vetiorum genera Cimbris ad expeditionem hanc „ se se adjunxisse tradit Libro IV. his verbis: „ Φασὶ δὲ καὶ πολυχρύσους τοὺς Ἑλουητίους εἶναι. „ μηδὲν μέν τοι ἧττον ἐπὶ λησείαν στρατεύσαι τοὺς

τῶν

„ τῶν Κιμβρων εὐπορίας ἰδόντας. ἀφανισθῆναι δ' αὐ-
„ τῶν τὰ δύο φῦλα, τριῶν ὄντων κατα στρατείας.
„ Hoc eſt: *Helvetios ajunt eſſe auri diviteis. nihil-*
„ *ominus tamen latrociniis ſe ſe dediſſe, quum vide-*
„ *rent Cimbrorum opeis. Quumque eſſent tria eorum*
„ *genera in expeditionem profecta, duo ex iis interiiſſe.*
„ In his Tigurinos fuiſſe atque Tugenos, aperte
„ teſtatur Lib. VII. ex Poſidonii monumentis.
„ Φησὶ δὲ καὶ Βοίους τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν οἰκεῖν πρό-
„ τερον, τοὺς δὲ Κίμβρους ὁρμήσαντας ἐπὶ τὸν τό-
„ πον τοῦτον ἀποκρουσθέντας ὑπὸ Βοίων, ἐπί τὸν
„ Ἴστρον καὶ τοὺς Σκορδίσκους Γαλάτας καταβῆναι.
„ εἶτ' ἐπὶ Τευρισκάς, καὶ Ταυρίσκους, καὶ τέτους
„ Γαλάτας. εἶτ' ἐπὶ Ἑλουήτιους, πολυχρύσους
„ μὲν ἄνδρας, εἰρηναίους δὲ, ὁρῶντας δὲ τὸν ἐκ τῶν
„ λῃστηρίων πλοῦτον ὑπερβάλλοντα τοῦ παρ' ἑαυ-
„ τοῖς, τοὺς Ἑλουητίους ἐπαρθῆναι, μάλιστα δὲ
„ αὐτῶν Τιγυρίνους τε, καὶ Τωϋγένους, ὥστε καὶ
„ συνεξορμῆσαι. Id eſt: *Idem perhibet, Boios quon-*
„ *dam Herciniam incoluiſſe ſilvam: ac Cimbros,*
„ *quum ad ea loca ſe contuliſſent, ab iis repulſos, ad*
„ *Iſtrum & Scordiſcos Gallos deſcendiſſe: inde ad*
„ *Tauriſcos, ipſos quoque Gallos: tum ad Helvetios,*
„ *auri divites, ceterum pacatos. Hos cum viderent*
„ *ſuis majores opes latrociniis Cimbrorum partas, ma-*
„ *xime Tugenos, animum ad prædas adjeciſſe, una-*
„ *que in expeditionem cum illis profectos.*

Reperto in hoc ultimo *Strabonis* loco *Tugenorum* Pago, unus *Cluverio* ſupererat inveſtigandus. Nec alio quam inter Cimbrorum Socios eum eſſe quærendum, relinquebatur exinde, quod tria Helvetiorum genera in hoc bellum eſſe profecta,

fecta, idem *Strabo* teſtaretur. Atqui Cimbris & Teutonis ad Germaniam certo pertinentibus, Helvetiæ qui tribui poſſent, reliqui erant *Ambrones* ſoli. Quibus ita conſtitutis, quo Pagorum illorum quisque hoc bello contulerit arma, ſe feliciter deprehendiſſe putans, ſequentem narrationem ad hanc conjecturam compoſuit.

„ Cimbros per Noricum Italiam petiiſſe,
„ relictis Teutonis atque Ambronibus in Gal-
„ lia, alia via in Italiam irrupturis, auctor eſt
„ *Plutarchus* in *Mario*. Cum Cimbris in Nori-
„ cum una profectos Tigurinos, mox e *Floro* pa-
„ tebit. Tugenos Ambronibus fuiſſe conjunctos
„ in Gallia, tradit *Strabo* Libro IV. de Rhodani
„ oſtiis loquens: Μάριος δὲ ὕϛερον ὁρῶν τυφλόϛο-
„ μον γινόμενον ἐκ τῆς προσχώσεως, καὶ δυσείσβο-
„ λον, καινὴν ἔτεμε διώρυχα, καὶ ταύτῃ δεξάμε-
„ νος τὸ πλέον τοῦ ποταμοῦ, Μασσαλιώταις ἔδω-
„ κεν ἀρισεῖον κατὰ τὸν πρὸς Ἀμβρωνας ἢ Τωύ-
„ γενϐς πόλεμον. Hoc eſt: *Poſterioribus temporibus Marius, videns adgeſtione limi oſtium obthurari, intrauque reddi difficile, novam egit foſſam, qua majorem amnis partem exciperet; eamque Maſſilienſibus, ob navatam præclaram in bello adverſus Ambronas & Toygenos operam, præmii loco donavit.*

„ Ambronas (ſic pergit *Cluverius*) haud pro-
„ cul Aquis Sextiis ad Flumen, quod Latinis
„ auctoribus vocatur *Druentia*, abſentibus Teu-
„ tonis, victos atque deletos, auctor eſt *Plutar-*
„ *chus* in dicto Libro: In hac igitur victoria præ-
„ claram illam operam navaſſe Maſſilienſes, Tu-
„ genosque una cum Ambronibus occubuiſſe,

haud

„ haud dubium eſt. Unde duo Helvetiorum ge-
„ nera ex tribus, quæ in hoc bellum profecta
„ erant, interiiſſe, tradit *Strabo.* Tertios, id
„ eſt, Tigurinos, ſuperſtites in patriam rediiſſe
„ terram, colligitur ex eodem *Strabone*, patet-
„ que clare ex primo *Cæſaris* Commentario de
„ bello Gallico: 'qui cum Tigurinis bellum ſe
„ geſſiſſe eosque viciſſe in Gallia, XLVI. poſt
„ Cimbros deletos annos, teſtatur. Sed & *Flo-*
„ *rus* Lib. III. cap. 3. aperte tradit, eos in Ita-
„ liam cum Cimbris non tranſiſſe; ſed accepta
„ de clade eorum fama, domum rediiſſe. *Ter-*
„ *tia*, inquit, *Tigurinorum manus, quæ quaſi ſub-*
„ *ſidio Noricos inſederat Alpium tumulos, in diverſa*
„ *lapſi, fuga ignobili & latrociniis evanuit.*

His ita veterum teſtimoniis, uti rebatur *Cluverius*, confirmatis, exitus belli Cimbrici quis fuerit, quantum ad Helvetios pertinebat, ſic æſtimabat, paucisque verbis tradebat. *Diverſa igitur*, inquit, *ac ſeparata duxerunt Galli Helvetii a Germanorum agminibus ſua agmina. Tigurini in Noricis erant Alpibus, quum Cimbri, in Italiam per easdem Alpeis transgreſſi, apud Atheſin amnem cæderentur a Mario ac Catulo: Ambrones vero ac Tugeni junctim ad flumen Druentiam ſuperati, quum Theutoni Aquas Sextias tenerent.* Unde neceſſario relinquebatur, Helvetiorum ex tribus generibus, ſeu Populis aut Pagis, duo interiiſſe bello Cimbrico; Tugenos nimirum & Ambronas.

Hæc ut explorata *Schwartzius* accipiens, deletos hoc bello Helvetios fuiſſe, ſtatui exinde poſſe duxit; quanquam Tigurinos incolumes eva-

evaſiſſe, *Cluverius*, *Florum* audiens, exiſtimaſſet. Gentis enim univerſæ fortunam ex majoris populorum ejus partis ſorte recte cenſeri. Cujus judicii exemplum Helvetios Scriptores etiam præbuiſſe, dixiſſet, ſi *Plantini* verba ſuperius allata legiſſet. Neque ſi vel ad vivum res reſecari deberet, extraneum vituperare liceret, quod *Flori* locum inſuper habuerit, quum eo non obſtante *Stumpfius* Helvetius Tigurinos ſuos prope Sextias Aquas victos ſcripſerit. Nil denique ſua ſententia contineri *Schwartzius* videbat, quod a *Strabone* non fuiſſet prolatum. Hic certe ſic eventum belli Cimbrici narrat verbis immediate ſequentibus adductis *Cluverio*, ex Libri IV. capite 193: : Πάντες μεντοι κατελύθησαν ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων αὐτοί τε οἱ Κίμβροι, καὶ οἱ συναράμενοι τέτοις, οἱ μὲν ὑπερβάλλοντες τὰς Ἄλπεις εἰς τὴν Ἰταλίαν, οἱ δὲ ἔξω τῶν Ἀλπέων. *Omnes autem a Romanis debellati ſunt, & Cimbri & eorum ſocii, partim extra Alpes, partim quum his ſuperatis in Italiam deſcendiſſent.* Qua generali locutione Geographi Græcus itidem hiſtoricus *Appianus* uſus eſt, in *Celticis* ſcribens: Ἐφ ὃς (Κέλτους, quo nomine hoſtes illos Romanorum omnes deſignat) ὁ Μάριος ἀποστελεὶς, ἅπαντας διέφθειρε. *Contra quos Marius miſſus, omnes delevit.* At unum *Strabonem* allegans *Schwartzius*, hujus unius auctoritate ad ſententiam Helvetios in univerſum comprehendentem ferendam inductum ſe fuiſſe, ſatis indicat. Calculos autem ita haud dubie ſubduxit. Quandoquidem non Cimbros ſolos, verum etiam ſocios eorum *omnes* debellatos a Romanis fuiſſe, *Strabo* teſtatur; debellati tum quoque fuerint Helvetii, neceſſe omnino eſt.

Quanto

Quanto ſunt hæc ſpecioſiora, tanto ſane ad excuſandos non modo *Schwartzium Cluveriumque*, ac eorum ſententiæ ſuffragantes hactenus quoscunque, ſed noſtrates inprimis Scriptores, magis ſunt idonea. Eorum idcirco quicquam ſilentio premere nolui. Ita quippe dudum conſtitui, nihil eſſe ad errantes cum eruditis reducendos in viam veri efficacius, neque cum minori præſtantium virorum famæ, cui pie ſemper ut parceretur vellem, detrimento conjunctius, quam quibus ipſi illi auctores in errorem, non niſi ſumma adhibita cautione declinandum, pertracti fuerint, oſtendere. Levi ut plurimum incuria lapſi, ſenſimque in novos errores ex priore natos delati viri egregii documento ſunt, quantum referat, vel in tralatitiis, quibus vetuſtas, communisve doctorum conſenſio conciliavit autoritatem, loca Scriptorum veterum, e quibus maxime deducta hæc fuerunt, ſedulo magis, ac vulgo fit, expendere; tumque demum aſſentiri, quum ad ſeveriores interpretandi regulas ſingula exegeris. Quo modo ſi verſati in hoc noſtro argumento fuiſſent, qui tractarunt illud omnium primi, commentitia pro certis poſteritati non conſignaſſent.

Enimvero tota illa operoſa Syntheſis argumentorum Cluverii, ejusque ad eam accommodatæ de Pagis Helvetiæ quatuor illius temporis, deque Helvetiorum generibus bello Cimbrico deletis, opiniones ex minus accurata loci unius *Strabonis* interpretatione manarunt.

Locus ille ex Libri STRABONIS Quarti *capite* 193. ſupra jam inter Cluveriana lectus eſt

totus; eum tamen rursus apponam: φασὶ δὲ καὶ πολυχρύσους Ἑλουητίους εἶναι. μηδὲν μέντοι ἧττον ἐπὶ λῃστείαν τραπέσθαι, τὰς τῶν Κίμβρων εὐπορίας ἰδόντας. ἀφανισθῆναι δὲ αὐτῶν τὰ δύο φύλα, τριῶν ὄντων κατὰ στρατείας.

Hæc Gregorius *Tifernas* & *Guarinus* Veronenſis ac *Xilander*, latini Strabonis interpretes, ita verterunt: *Helvetios ajunt, quamquam eſſent auri divites, tamen latrociniis ſe dediſſe, cum viderent Cimbrorum opes: cumque eſſent in tres Gentes diviſi, duas earum expeditionibus bellicis periiſſe.*

Improbata illa interpretatio neutiquam fuit *Heresbachio*, vel *Gemuſæo*, vel *Hoppero*, qui Strabo ut latine prodiret emendatiſſimus, curarunt ſinguli. Intactam eam itidem reliquit *Caſaubonus*: cui tametſi propoſitum haud eſſet interpretum notare peccata, præſtitit nihilominus, *ſi quid ea res faceret ad lectionis veritatem* (1). Quid vero magis ad veritatem lectionis facere poteſt eorum in gratiam, qui Græca non niſi interpretis ope intelligunt, quam interpretatio aliam omnino ſententiam affingens auctori? Vulgarem itaque probaſſe, ſummus in his *Caſaubonus* dicendus utique eſt.

Novam nihiloſecius excudit *Cluverius*, hisque verbis protulit: *Helvetios ajunt eſſe auri diviteis, nihilominus tamen latrociniis ſe ſe dediſſe, quum viderent Cim-*

(1) Vid. Almelov. *Præfat.* Straboni præmiſſa.

Cimbrorum opeis, quumque essent trià eorum genera in expeditionem profecta, duo ex iis interiisse.

Commatis hujus ultimi quam sit diversa sententia ab interpretatione vulgari, nemo non videt. Hac Strabo quot Helvetiorum genera, sive quot Pagi (unum idemque *Genus* & *Pagus* ibi esse, alibi (1) probavi) tum in Helvetia essent, docet. Quam notitiam, aliunde non habendam, *Cluverius* hinc sustulit, ejusque in locum quot Helvetiorum Pagi se se Cimbris adjunxerint, quotque eorum hoc bello interierint, substituit, soli huic tempori Cimbrico alligans, quæ de aliis etiam Helvetiorum expeditionibus interpretes acceperunt.

His in *Strabone* admissis, quum indicta veteribus aliis essent, suppetias, ut Geographi constaret fides, esse quærendas, *Cluverius* cernebat: Quibus nimirum primo tres Helvetiæ populos cum Cimbris militasse; tum qui ex tribus illis duo deleti hoc bello fuissent, probaretur.

Prius neque *Strabo*, neque veterum exstantium ullus prodit expresse. Nominat equidem *Strabo Lib. VII. cap.* 294. ex Helvetiis Cimbrorum Sociis *Tigurinos* atque *Tugenos*: tertium vero genus reticet. Istud in *Ambronibus* se reperisse, continuo *Cluverius* credidit; eoque certius, quod hos suæ Civitati pridem addixissent Helvetii eruditi. Qua inventione, Strabonis de duobus Hel-

(1) Mem. sur l'Hist. Anc. de la Suisse. Tom. I.

vetiorum generibus hoc bello cæsis, dubia alioquin, ob servatos, *Floro* teste, Tigurinos, narratio, liquida mox facta atque plenior, mirifice confirmari videbatur. Deletos namque ad Druentiam Ambronas fuisse, certum est ex *Plutarcho* aliisque. Ambronibus autem illis comites dando Tugenos, quos domum salvos rediisse, nullibi dicitur, duos Helvetiæ populos bello Cimbrico, secundum *Strabonem*, deletos indicasse, *Cluverius* putabat. Fidenter itaque, teste licet nullo facti existente, scripsit: *Tugenos una cum Ambrombus occubuisse, haud dubium est. Unde duo Helvetiorum genera ex tribus, quæ in hoc bellum profecta erant, interiisse, tradit Strabo* (1).

Clu-

---

(1) Quem errorem licet Schwarzius adoptasset, ei tamen nihilo magis idonea videbatur Cluveriana Strabonem intelligendi, atque cum historicis exitum cujusque pugnæ Cimbrici belli docentibus conciliandi ratio, neque huic accommodata Scriptorum illorum interpretatio, nec Helvetiorum hujus temporis in Pagos Quatuor divisio, neque trium Pagorum in hoc bellum profectio, ac duorum internecio. Parum sane Schwartzio probata hæc fuisse, indicio satis manifesto est ab eo excogitata opinio Cluverianas illas omnes penitus evertens, unum eundemque populum Helvetiæ *Tugenorum* atque *Ambronum* appellatione veteres designasse. Quam conjecturam argumentis quoque per consecutiones e locis Epitomes Livii, Strabonis & Orosii inter se collatis fluentes, uti rebatur, fulcire conniſus est in *Supplementis Observationum* ad *Geographiam antiquam*

Cluverianæ opinionis, & ad eam ſtatuminandam ab eo inſtitutæ Helvetiorum in Cimbrico bello partitionis fontem unicum habes reſeratum; erroneam videlicet loci *Strabonis* interpretationem: tum errores Viri clari ex primo illo defluentes: Quos merito me hoc nomine cenſere, jam probandum eſt.

Ad *Strabonis* interpretationem quod attinet, videndum cui, vulgari ne an Cluverianæ, faveant critices regulæ?

Scriptoris propoſito ut verborum ejus intellectus congruat, extra orationis fines haud productus, requiritur. Regionem, quæ ad Rhenum pertingit a Ligeri & Rhodano, quo is loco a fontibus delapſus ad Lugdunum accedit, deſcri-

---

Cellarii; ubi argumentis ſuis expoſitis, differendi finem his verbis facit: *apertum eſt Ambronas & Tugenos eosdem eſſe.* TUGENI *a loco*, AMBRONES *itidem a loco* BRUNNEN, *qui in Pago Suitiæ jacet, nomen habuiſſe videntur.* Atqui tametſi quam ſint conſequentiæ per vim ab eo elicitæ momenti nullius, ut & nominis Ambronum a loco *Brunnen* originatio, demonſtrari facillime poſſet, hac opera ſuperſedebo. Eſſet quippe ſupervacua prorſus, quum probatum liquido fuerit, Galliæ quidem, ſed interioris, Populum ad Rhodanum & Druentiam poſitum Ambronas extitiſſe, non Helvetiæ Gentem. Verum ſingularem, nec a quoquam, quantum comperi, repetitam viri clari opinationem ſilentio plane præmittere non debui.

bere volens STRABO *Lib. IV. cap.* 192. & 193. populorum juxta fluminum illorum unumquodque ſitorum fata ſtrictim memorat. Rheni autem oram legenti occurrebant Helvetii: quos, ait, quamquam eſſent auri divites, latrociniis tamen ſe ſe dediſſe, quum viderent Cimbrorum opes: quumque eſſent in tres gentes diviſi, duas earum expeditionibus periſſe: quanta tamen ex reliquiis enata fuerit multitudo, bellum Helvetiorum contra D. Cæſarem geſtum docere; in quo hominum cccc. millia deleta ſunt: reliquos ad VIII. millia Cæſarem ſupereſſe paſſum eſſe, ne finitimis Germanis vacuam regionem relinqueret.

Straboni num in mente fuerit hoc loco, quot Helvetiorum Populi prædæ Cimbrorum conſpectu moti, illis ſe ſe applicarint, tradere, quæve ſors cujusque earum in hoc ſingulari bello fuerit, docere, nemo, opinor, cum orationis ſeriei, tum verbis ipſis ut par eſt, attendens, quæſiverit. Quod dubium ejusmodi cuiquam ingerat, nil profecto illic ſubeſt. Poſtquam quid ad latrocinia gentem excitarit, jam auro divitem, prodidit, populos ejus duos equidem periiſſe ait, non prima expeditione cum Cimbris ſuſcepta; verum expeditionibus bellicis haud finite: non κατὰ σραλείας ταυτης; quo pronomine, aut ſimili loquendi ratione uſus certe *Strabo* fuiſſet, ſi ad bellum Cimbricum duntaxat digitum intendiſſet: ſed κατὰ σραλείας, vel, ut Libri veteres, *Caſaubono* viſi, κατὰ σραλίας; hoc eſt, *per bella*: tantum abeſt ut de Cimbrico ſolo intelligi voluerit.

Status

Status antiqui Gentis notionem utcunque levem ſuppeditare volenti ſummam in Populos Pagosve diviſionem omiſiſſe, quis ignoſceret? Hujus tamen culpæ reum *Strabonem* exiſtiment oportet utentes interprete *Cluverio*. Nec enim iſte quot Helvetiorum generibus tum omnis conſtaret Civitas Helvetica docet, qui quot Helvetiorum genera prodierint ad bellum tempore Cimbrorum, tradit ſolummodo. Prius certe, quum ad Civitatis notitiam eſſet omnino neceſſarium, ne lectores ignorarent curaſſe mihi videtur *Strabo* verbis τριῶν ὄντων orationi ſuæ inſertis. Quare Parentheſi ſeu Virgula ſeparo verba illa duo a ſequentibus κατὰ στρατείας, liquido pertinentibus ad ſuperiora ἀφανισθῆναι τὰ δύο φύλα. Cauſam quippe continent interitus duorum illorum generum, *in bellis* ſeu *per bella*, κατὰ στρατείας, deletorum. Sic a *Strabone* amovetur incuriæ ſuſpicio, cui *Cluverius* eum objecit. Neque imputabitur illi modus hic loquendi τριῶν ὄντων κατὰ στρατείας, *Cluverio* diſtinguenda conjungenti admiſſus; qua phraſi an Græco uti licuerit, niſi εἶναι κατὰ στρατείας Græce diceretur, quemadmodum latine *in bello eſſe?* periti definiant.

Sicubi conſignare *Strabo* debuit quot ex Helvetiorum generibus interfuerint Cimbrico bello, ibi profecto id ei præſtandum erat, ubi Cimbrorum errationes, ac ſpeciatim expeditionem adverſus Romanos intexuit: hoc *capite* ſcilicet 293. *Libri* ejus *Septimi*. Poſtquam enim a Gallicæ originis populis Germaniæ, ad quos Cimbri acceſſiſſent, eos repulſos fuiſſe, ſcripſit, atque ideo deſcendiſſe ad Helvetios, apud quos tandem ſo-

cios ſibi feciſſent: ſilentio transmittere ei licuiſſet, num univerſa Natio, an Populi duntaxat ejus ſingulares, & qui, nomen fœderi dediſſent? Nequaquam ſane. Hinc & qua excitati cauſa Helvetii fuerint, & ex eis quinam exierint in bellum, retulit his verbis: *Hos* (Helvetios) *cum viderent ſuis majores opes latrociniis Cimbrorum partas, maxime Tigurinos ac Tugenos, animum ad prædas, ac Cimbris Italiam petentibus ſocios ſe ſe adjunxiſſe.*

Quin aſpectu prædæ aliorum quoque Helvetiorum commota cupiditas fuerit, haud equidem inficias iverim. Quo vero usque ea proceſſerit, ſi conjicias ex hoc uno Strabonis loco, ut eſt neceſſe, quum, qui huc pertineat, locus veterum nullus ſuppetat alius, negabis, opinor, Tigurinorum ac Tugenorum ſuſceptioni Pagum alium acceſſiſſe. Reddenda alioquin ratio ſane eſſet, cur *Strabo* nomine deſignans Helvetios, quos hæc cupiditas inflammavit *adeo, ut una cum Cimbris ad bellum proruperint* (quemadmodum ad literam expreſſius Græca, ὥστε καὶ συνεξορμῆσαι, vertuntur, ac ab interpretibus, paraphraſi utentibus) ſilentio præterierit, alium Pagum, qui cum illis eſſet profectus. Cujus ſilentii hæc ſi cauſa reddatur, quod tertii, quartive Pagi; tot enim tum jam extitiſſe, *Cluverius* cum noſtris exiſtimabat; mentionem nullam *Strabo* repererit apud *Poſidonium*, quem hic unice ſecutus eſt: reſpondebo, inde colligi vero ſimilius, de Pagi alicujus Helvetici, Cimbrorum Socii, copiis lectum aut compertum nihil *Poſidonio* fuiſſe, præterquam de Tigurinis & Tugenis. Unde relinquitur, nec audiviſſe veteres de tertio Pago, aut prodidiſſe quicquam ejusmodi.

Volones

Volones forte multos, ut fieri ſolet, comites ſe ſe popularibus ſuis duorum illorum Pagorum adjunxiſſe, concedam. Decreto ſuæ Civitatis in hanc eos militiam iviſſe minime dabo, indicio rei exſtante nullo. Horum propterea rationem ab hiſtoricis non habitam fuiſſe, quod quum publica Pagi, ad quem pertinebant, auctoritate miſſi haud eſſent, corpus peculiare neutiquam conſtituerent, ſed alterius Pagi copiis permixti, cum his cenſerentur, eſt admodum probabile.

Aſſerta, uti profecto exiſtimo, vera duorum locorum STRABONIS a *Cluverio* adductorum ſententia, male noſtros *Cluveriumque* ea junxiſſe, alterum ex altero interpretantes ac ſupplentes, quaſi eodem ſpectarent ambo, intelligitur. Qua ſemel inſtituta compactione, totum hoc argumentum conturbarunt mirifice. Poſita namque falſa notio, plurium aliarum mater evadit eo fœcundior, quo perſpicax magis eſt eam adhibens, longiusque conſecutiones elicere, connectereque ſolertius valet inde manantes.

Sic utique *Cluverius* de bello Cimbrico duntaxat *Strabonem* in *Libri IV. capite* 193., loqui ſtatuens, *tria* inde *Helvetiorum genera in eam expeditionem profecta*, ibi protinus vidit. Quumque pro Helvetiis habere nequiret Cimbros & Teutonas, nec plures quinque Nationibus adverſus Romanos in hoc bello fuiſſe reperiſſet, reliquas tres Helveticas hinc duxit. *Ambrones* igitur pariter atque Tigurinos & Tugenos attribuit Helvetiæ. *Ambronas* etenim fuiſſe *Gallicæ nationis Helvetios*, non Germaniæ populum, ſcripſit continuo. Atqui

Galliæ quidem, verum inrerioris, utique non Helvetiæ, incoluiſſe regionem Ambronas, deſignatis etiam eorum ſedibus, alibi data opera probatum abunde fuit (1). Quo in fumum abit Pagus ille Helvetiæ tertius *Cluverii*; ac quicquid huic errori adſtruxit.

Qualis oppido eſt diſtributio Helvetiorum in bello Cimbrico. Ex eo nempe, quod moris tum fuiſſe ſciret *Cluverius*, ut Civitatis alicujus copiæ ſocii alterius Populi exercitui accedentes, ei haudquaquam ne quidem manipulatim, nedum viritim permiſcerentur, ſed manum ſeparatam conſtituerent, non niſi Ducibus ſuis parituram; cujus moris antiquiſſimi Gentis in bello Cæſariano Helvetios inter Pagos ipſos conſpicui, adeo tenax extitit, ut patrum noſtrorum adhuc memoria, fœderibus ab Helvetiis auxilii cauſa initis, ſollicite caverent, ne unquam divellerentur: ex hoc, inquam, ſibi noto Gentis uſu conjecit *Cluverius*, junctos Ambronibus Tugenos fuiſſe. Nec id pro indubio affirmare veritus eſt. Ea quippe opinione reperiebat duas illas Gentes Helveticas bello Cimbrico, ut *Strabonem* interpretabatur, deletas, alia nulla ratione divinandas. Hinc ipſi hæc e calamo mox efluxerunt: *Ambrones ac Tugeni junctim ad flumen Druentiam ſuperati.* Cujus vero junctionis, ac proin Tugenorum cladis, indicem unum, quem exhibet, quum audiverimus, quam levis oculos ejus perſtrinxerit ſpecies indicii conſtabit. *Tugenis*,

---

(1) Mem. ſur l'Hiſt. anc. de la Suiſſ. *Tom.* 2. *pag.* 586.

Tugenis, inquit, *Ambronas fuisse conjunctos, tradit Strabo Lib. IV. de Rhodani ostiis loquens.* Hujus verba sunt (1): *Posterioribus temporibus Marius videns aggestione limi ostium obturari, intratuque reddi difficile, novam egit fossam, qua majorem amnis partem exciperet, eamque Massiliensibus ob navatam præclaram in bello adversus Ambronas & Toygenos operam, præmii loco donavit.*

Quid in his extet quod ad Ambronum cum Tugenis conjunctionem ac horum deletionem trahi queat, præter belli *adversus Ambronas & Toygenos* appellationem, haud video. At si cui sociorum quisque hoc bello junctus fuerit, ex solo belli nomine definiendum esset, Cimbris potius quam Ambronibus Tugenos colligaveris, obnitentibus facti veritate atque historicis. Nec enim loco eodem cum Cimbris Tugenos aliquando constituisse, legitur: & *Cimbricum* apud Scriptores tantum non omnes hoc bellum audit.

Moris a semet memorati, quum ait *Cluverius diversa ac separata duxerunt Galli Helvetii a Germanorum agminibus sua agmina*, rationem sin habuisset qualem oportebat, statuisset omnino, Pagi alicujus Helvetii nomine in historia belli, cui plures uno Pagos interfuisse certum est aliunde, apud antiquos Scriptores occurrente, eo nomine comprehendi etiam debere Pagos alios bello implicatos eidem: Nisi huic interpretationi obsit ratio aliqua potentior; cujusmodi nulla profecto heic subest.

---

(1) Lib. 4. cap. 183.

ſubeſt. Tigurinis igitur, Ambronibus vero nequaquam, Tugenos comites individuos dabit inſtituti Gentis gnarus omnis. Quod ab ECCARDO fuit obſervatum in poſthumo de *Origine Germanorum* Opere, cura Clariſſimi *Scheidii* almæ Göttingenſis Academiæ Profeſſoris, ut & Regiæ Scientiarum Societatis ſocii, luce, qua digniſſimum erat, donato. Ibi namque allegato, ſolos Tigurinos nominante *Flori* loco, nihilominus inquit *Eccardus* (1): *Cimbri inter hæc cum Tigurinis ET TUGENIS per Alpes Tridentinas in Italiam delapſi ſunt.*

Deleti ſane non fuerant ad Druentiam cum Ambronibus Tugeni illi, qui tumulos Alpium anno ſequenti tenebant. Nec vires hujus Pagi tantas fuiſſe, ut accepta clade qualis Ambronum internecio, exercitum inſtaurare tam cito potuerit. Id utique hodie pars illa Helvetiæ, populoſior certe quam olim, vix præſtaret, vel ſin ad Oenum usque Tugenorum veterum limites proferantur.

Populorum a Romanis ſuperatorum numerum minuere Scriptoribus Romanis ſolitum haud erat. E vico Civitatem potius, exque incolis ejus Populum faciebant ad oſtentationem. Devictarum ab Auguſto Gentium Alpinarum qui nomina in Inſcriptione *Plinio* relata legit, quid eo nomine deſignarent aſſentatores, intelligit. Is ne facile ſuſpicabitur, Tugenorum nomen a *Plutarcho*,

(1) Lib. I. §. 84.

Larcho, Marianæ de Ambronibus victoriæ præcone omnium diligentiore, prætermissum fuisse silentio : Quibus, qui *Cluverii* conjecturam, Ambronas Helvetiis accensentem, Tugenosque ob id unum Ambronibus jungentem, & cum his ad Druentiam delentem, anteponat, veri similium studiosus haud amplius, credo, dabitur.

Expositis *Cluverii* erroribus ac simul dilutis, Schwartzianæ sententiæ, ad quam regrediendum est mihi, quid speciem adhuc aliquam dare queat, inspiciamus.

Non sane *Strabonis* locus Libri IV. *cap.* 193. Ut ut enim ibi dicatur, debellatos Cimbros fuisse, & eorum socios omnes, quos inter Helvetiorum Pagi duo erant; sic loqui Strabo potuit, tribus ex quinque Populis illis, iisque potentioribus, revera deletis, ac reliquis duobus tandem ab incepto desistentibus. Nec de singularibus præliis, sed de belli exitu vult intelligi.

Flori verba tametsi ad literam interpreteris hisque Tugenos, ut constitui; comprehendi cum Tigurinis recte animadvertas, nihilo plus *Schwartzium* juveris. Quum enim *Florus* scripsit, *Tigurinorum manus, quæ quasi subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi, fuga ignobili & latrociniis evanuit* : Rhetorem, pro more suo, potius quam historicum hic eum agere, reponam. Videlicet barbaris insultans Florus *fugam* vocat domum reditionem Helvetiorum audita Cimbrorum internecione : *Latrocinia* dicit Romanorum & Provincialium ab Helvetiis in Patriam relata

spolia

ſpolia: *evanuiſſe* Tigurinos ait, quod in Alpium tumulis conſpecti amplius haud fuerint. Quo ſenſu intelligi etiam poſſet Græca vox ἀφανισθῆναι adhibita *Straboni*, loco *Libri* ejus *Quarti* ſuperius adducto; ubi *duas* (Helvetiorum Gentes) *expeditionibus bellicis PERIISSE*, verterunt interpretes. Nam & *deleri* & *ultra non apparere*, Græci voce illa ſignificant. Quid? quod etiam verbum κατελύθησαν, quo Strabo eſt uſus in loco a Schwartzio citato, *diſſolutionis*, ſeu *diſſipationis* notionem uſitate non minus, atque *deletionis* proprie ſic dictæ continet. Quin & interdum *debellare* tantum, quod absque internecione ſæpius fit, ſignificat. Quomodo Latinus interpres Caſaubono probatus vertit: *Omnes a Romanis debellati ſunt & Cimbri & eorum ſocii.* Hæc tamen de verborum utriusque loci Strabonis interpretatione non attuli, ut ſic Geographum intelligi debere contendam. Eum enimvero deletionem atque internecionem in animo habuiſſe, nimis e verbis Libri Quarti, mox adducta continuo ſequentibus, evidens eſt. *Quanta tamen*, inquit, *e reliquiis enata fuerit multitudo, bellum Helvetiorum contra D. Cæſarem geſtum docuit, in quo hominum cccc. millia deleta ſant.* Sed ideo maxime loca Strabonis ſub examen iterum adduxi, ut etſi teſtatus ille eſſet deletionem duarum Helvetiæ Gentium in Cimbrico bello, ſicque Schwartzianæ ſententiæ faveret, quam parum ſit Strabonis ſolius auctoritati de rebus Helvetiis tribuendum, ex hoc ultimo loco manifeſtius fieret. Præterquam enim quod quæ de bello Cimbrico, quantum ad Helvetios, refert, a Poſidonio Apamenſi,

menſi, ſeu Rhodienſi (1), Scipioni Africano æquali, ſumpſit omnia; quem tamen *a ratione aliena de rebus manifeſtis pronunciaſſe* (2), & *veri rationem haud ſatis habere* (3), monuit ipſe, nec qui fides huic hiſtorico haberetur, caperet: erroris quam fuerit in his haud immunis, quæ a claſſicis Scriptoribus diſcere certo potuiſſet *Strabo*, documento eſt hic ab eo conſignatus error in Helvetiorum, qui bello Cæſariano interierant, numero. Cujus culpæ illum neutiquam abſolvit *Caſaubonus*, Librariis eam imputando. Nec enim per literarum compendia, quibus decepti ſæpius ſunt & deceperunt exſcriptores, hunc numerum ſignavit *Strabo*; verum extenſe τετταράκοντα μυριάδης σωμάτων. Quod ſi ſic apud Scriptorem aliquem, immane ab Cæſare in hoc diſcedentem, repererit, hujus potius, quam illius teſtimonium non eſſe eum ſecutum; quis excuſet? Maxime autem quum priori adhærens, rem a ſimilitudine veri longius remotam admittere neceſſe ipſi fuerit: qualis certe Helvetiorum eſſet multiplicatio tanta intra annos circiter quinquaginta, ut ad myriadum illarum numerum excreviſſet Gens pœne deleta, atque cum Germanis con-

---

(1) Athenæus *Lib. 6. pag.* 252. Edit. Caſaub.

(2) Υ̓υκ οἶδα δὲ πῶς ἄν τις περὶ τῶν ἀδήλων αὐτῷ (Ποσειδωνίῳ) πιςέυσειε, μηδὲν εἰκὸς ἔχοντι εἰπεῖν περὶ τῶν φανερῶν, οὕτω καταλογως λέγη. *Lib. XI. cap.* 491.

(3) Διὰ δὴ ταῦτα ἐχρῆν φροντισαι τ' αληθοὺς πλέον τι. *Lib. XI. cap.* 462.

continue contendens prælis fere quotidianis; quod ex *Cæsare* constat.

Ad *Florum* ut redeam, causſæ me vel Helvetiorum gratiæ obsecutum esse, quum ejus verborum sensum exposui, mihi non objeciſſet *Cluverius*. Hoc enim capite *Tigurinos superstites in patriam rediisse terram*, agnovit ipse: Idque ex Strabone liquere, ait. Quod equidem mihi non liquet, nisi verbo ἀφανισθῆναι non *deleri*, sed *oculis subtrahi*, vel *haud porro conspici in loco*, de quo sermo est, *Strabo* intellexerit: prorsus secundum intellectum, quem contra *Schwartzium* tueor; minime vero ad Strabonis mentem mox declaratam. *Cluverio* utique ad id de Tigurinis statuendum haud alio, quam *Floro*, teste opus erat; quo etiam usus est. Nec aliter historicum illum sunt interpretati duumviri Cimbrici belli gesta singula exitumque diligenter prosequuti *Eccardus* (1) atque *Mascovius* (2). Quorum clarissimorum Germanorum autoritati, nostratium, huic causſæ Helvetiorum adjunctorum, suffragia non addam.

Ne uno quidem autore idoneo affirmari posse, victum cæsumque fuisse bello Cimbrico Pagum unum Helvetiæ, nedum duos periisse, exploratum

---

(1) Ubi supra.

(2) Als die Tiguriner, so im Norico zurück geblieben waren, von der gäntzlichen Niederlage der Cimbern höreten, zerstreueten sie sich, und zogen vermuhtlich in ihr Land zurücke. *Gesch. der Teutsch. l.* 16.

tum in posterum, opinor, habebitur. Unde quid de *Schwartzii*, aliorumque, quos inter eruditum etiam *Dithmarum* video (1), sententia, Gentem tantum non universam exscindente, censendum sit, conspicuum est. Atque eo magis severos experietur judices, quod quæ huic opinioni contrariam e diametro ingerant eruditis, veteres, qui manibus omnium teruntur a puero, Scriptores affatim tradant. Quos cur minime consuluerit *Schwartzius*, uno Strabone contentus, mirari profecto subit. Sane, superstitibus generis hujus testibus historicis eximiis, uni Geographo per occasionem duntaxat & obiter quoque illa tangenti, criticum adhærere, probaverit nemo certa judicia requirens. Namque non generalia tantum, informandis his de totius belli eventu judiciis aptissima, sed etiam singularia de cujusque sociorum sorte, indicia apud illos reperiri scriptores, eruditus haud ignorat. Quos si *Schwar-*

---

(1) In his adnotationum ejus ad Tacitum *de Mor. Germ. cap.* 28. *not.* 2. verbis: *Cladibus in expeditione cum Cimbris & Teutonibus, ut & a Cæsare, cum in Galliam reverti vellent, acceptis, adeo diminuti fuerunt Helvetii, ut magna deserta apud eos fuerint relicta, quæ non solum* (hic aliqua omisit verba typographus, a me non divinanda) *sed & reliquas ditiones ad Montem usque Juram Alemanni, gens procul dubio Germanica, occuparunt, genusque suum & nomen illis Helvetiorum ditionibus intulerunt.* Quæ quam parum vere, tam parum ad tempora Taciti accommodate prolata sint, omnia rerum nostrarum peritissimo indicare, nil necesse est.

lius evocaſſet ad teſtimonium, audiſſet *Tacitum* ſtrictim *quinque* Romanorum *exercitus conſulareis* a barbaris *cæſos* fatentem (1). Audiſſet *Paterculum* explicate hos exercitus his verbis deſignantem (2): *Effuſa.... immanis vis Germanorum gentium, quibus nomen Cimbris & Teutonis erat, cum Cæpionem Manliumque Conſulem, & ante Carbonem Silanumque fudiſſent, fugaſſentque in Galliis, & exercitu: Scaurumque Aurelium Coſ. & alios celeberrimi nominis viros trucidaſſent, Populus Romanus non alium repellendis tantis hoſtibus magis idoneum imperatorem quam Marium eſt ratus.*

Audiſſet *Oroſium* ex Valerio Antiate his temporibus proximo referentem (3), uno Scauri Aurelii prælio *octuaginta millia Romanorum, quadragintaque millia calonum & lixarum interfecta* & *ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miſerum nuntium ad augendas miſerias reportarent, ſuperfuiſſe.*

Quo etiam res Romanorum loco his cladibus eſſent, FLORUS eum docuiſſet, aiens: *actum erat niſi Marius huic ſæculo contigiſſet* (4).

Omni-

---

(1) De Mor. Germ. *cap.* 27.

(2) *Lib.* 2. *cap.* 12. Hunc Paterculi locum fere deſcribens autor *Declamationis*, earum quæ Quintiliani nomen præferunt, *Tertiæ* numero, fidem hiſtorico hac in re olim habitam, indicio eſt.

(3) Lib. V. cap. 16.

(4) Lib. III. cap. 3.

Omnibus denique Latinis, qui extant, historicis evolutis, advertisset necessario *Schwartzius*, ab his nullibi tradi deletos hoc fuisse bello Helvetios seu Tigurinos seu Tugenos. Nisi quid ejusmodi credatur innuisse *Orosius*, ubi post enarratam Marii ad Sextias Aquas victoriam, sic orationem claudit: *Hæc de Tigurinis & Ambronibus gesta sunt.* Quæ tam ad superius de Cimbris eorumque sociis in universum ab eo dicta, quam ad hoc Marii prælium singulatim referri posse videntur. Verum errorem lectoribus obtrusisse, illi *Orosio* attribuant oportet, qui ad singularem pugnam pertinere Tigurinorum mentionem existimant. Quod ne quis admitteret, curandum sibi esse *Franciscus Fabricius* recte censuit: eamque ob rem sequentia Orosio subjecit: *Livius, Florus, Plutarchus Teutonas cum Ambronibus confundunt, eosque a Mario ad Aquas Sextias, Cimbros vero a Mario & Catulo in Italia victos: Tigurinos; qui Noricas Alpes insederant, fuga dilapsos tradunt.* Sociorum illorum fortuna quæ fuerit sic distincte docens *Fabricius*, Tigurinos cum Ambronibus haudquaquam occubuisse, sed ex Alpibus Noricis domum repetivisse, scriptorum Orosio vetustiorum auctoritate firmat: Tugenorum autem non meminit, cum quod prætermissi etiam ab Orosio fuerunt, tum inprimis haud dubie quod a Tigurinis, pro more Gentis, nunquam disjunctos, horum appellatione comprehensos eos vellet.

Nullius Helvetiorum cladis memoria apud belli Cimbrici Scriptores antiquos exstante, victos cœsosque tum eos nihilominus fuisse, quis *Cluverio*, *Schwartzio*, aliis, ævi longe posterioris, id con-

jectantibus tantummodo, ut ut affirmate ponant, credulus sit? Non is profecto cui Romanorum historicorum ingenium est notum. Ab his quippe silentio transmissam victoriam a Romanis de fortissima Gente reportatam, vel minimam, ut suspicetur nulla efficiet conjectura. At vero, ne argumento negante solo Schwartzianæ, seu Cluverianæ affirmantis sententiæ, fautorumque illius, si quos post dicta nanciscì queat adhuc, autoritatem elevare suscepisse existimer, testibus antiquis ex abundanti revincendus est ejus error. Quod facillime præstabunt Romanorum Scriptorum de Tigurinis, adeoque de Tugenis illis omnibus, qui cum Cimbris erant profecti, nominatim dicta.

Atqui bis utique tantum Helvetios manus eo bello cum Romanis conseruisse, legitur, Annis videlicet ab Urbe condita DCXLV. & DCXLVII.

Hoc posteriore, Cimbris, Ambronibus ac Teutonibus juncti Helvetii, cum Q. Servilio Cœpione decertarunt in Gallia. Quo successu? supra jam *Paterculus*, *Tacitus*, & *Orosius* docuerunt. Ne vero rem amplificasse, fini suo ut inserviret, hic ultimus putetur, superiorum fides vetat, ut & EUTROPII, nullo nomine suspecti, paullum ante Orosium scribentis: *M. Manlius*, (1), *& Q. Cœpio a Cimbris & Teutonibus & Tigurinis & Ambronibus---- victi sunt juxta flumen Rhodanum; & ingenti internecione attriti, etiam castra sua & magnam partem exercitus perdiderunt.*

Priore

(1) Lib. V. cap. 1.

Priore prælio, anni ſcilicet DCXLV., Tigurinos, & conſequenter Tugenos quoque, cum L. Caſſio pugnantes, inſignem calamitatem extrema ignominia aggravatam Romanis intuliſſe, non ex *Appiani* Claudium Paulum allegantis, aut *Taciti*, vel *Paterculi* generalioribus verbis ſolummodo intelligitur, verum ex *Livii Epitomatore*, atque *Cæſare* pudendum id infortunium haud ſemel nominatim memorante, & ab *Oroſio* ſingula colligente, conſtat. Et inultam hanc contumeliam fuiſſe ad usque ſuam de Tigurinis ad Ararim victoriam, *Cæſar* non uno loco ſignificat : Ita ubi Legatis Helvetiorum vetus hoc Romanorum incommodum tecte refricantibus, reſpondit, *eas res, quas commemoraſſent, memoria ſe tenere, eoque gravius ferre, quo minus merito populi Romani acciditſet* [1], parum omnino digna ſuo ingenio reſponſione defunctus eſſet, ſin Helvetios aliquando Romani ab Cimbrorum tempore mactaſſent ultioni. Nec enim viro generoſo gravis fuiſſet recordatio injuriæ, cujus pœnam Gens internecione magnæ ſuorum partis brevi dediſſet. Inſubide magis adhuc *Cæſar* felicis ſuæ cum Tigurinis Ararim transmittentibus pugnæ narrationi ſubjunxiſſet, *ita ſive caſu, ſive conſilio Deorum immortalium, quæ pars Civitatis Helvetiæ inſignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps pœnas perſolvit* [2]. Temporis ſane non ordinis hic vocabulum *princeps* eſſe, quis dubitet? Aut credat Cæſarem eo ſenſu verbum hoc adhibiturum fuiſ-

[1] De B. G. Lib. I. cap. 14.
[2] De B. G. Lib. I. cap. 12.

ſe, ſi quæ alia pars civitatis Helvetiæ vindictam Romanorum pridem eſſet experta. Hiſtorici judicium minus utique agnoſceretur in his continuo ſequentibus : *qua in re Cæſar non ſolum publicas, ſed etiam privatas injurias ultus eſt.* Exilis quippe gloria repetitæ ultionis Gentis dudum punitæ.

Quid vero pluribus per conſequentias elicitis argumentis indigemus, expreſſum hac de re & *Cæſaris* & Helvetiorum teſtimonium ad manus habentes? Quum enim *ſua victoria* (Caſſiana) *tam inſolenter* (verba ſunt CÆSARIS) *gloriarentur* Helvetii, quumque *tam diu IMPUNE TULISSE INJURIAS*, *admirarentur*, eis haud reponit *Cæſar*, quod obvium erat, arroganter ſe de victoria, quam Gentis prope totius interitu mox luiſſent, Helvetios jactare: Sed ad numinum providentiam recurrit; *conſueſſe enim Deos immortales*, inquit [1], *quo gravius homines ex permutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res, & DIUTURNIOREM IMPUNITATEM concedere.* Quo loco ne minima quidem clade Conſulari exercitui illatam ignominiam inde a Caſſii tempore Helvetios expiaſſe, Cæſar manifeſtum facit. Ut vel ſubtiliſſimo conjectori jam ſuperſit color nullus, quo Schwartzianæ ſententiæ vanitatem fucare queat.

Minus felicis memoriæ lapſus imparato, & ad ſcribendum adacto, cuique quos conſulat in promtu non ſunt, facile condones. Ultro deproperanti,

---

[1] De B. G. *cap.* 14.

ranti, atque res affirmate nihilose cius appponenti, neglectis etiam, qui proſtant, fontibus, lector in erroris periculum eo adductus minus eſt indulgens, in his præſertim quæ cum errore conjunctam alicujus injuriam continent. At ſimul inſuper etiam habenti vulgares ratiocinandi regulas, ut integræ Gentis antiquiſſimæ claritudini officiat apud imperitos, advocationem vix commodaveris. Hujus ultimæ culpæ reum Tibi exhibeam *Schwartzium* ſupereſt. Nec multis erit opus indiciis aut teſtibus. Evidens uno argumento crimen fit.

Enimvero tametſi certum æque eſſet, atque vero eſt contrarium, Helvetios ante Cimbrorum adventum fuiſſe quietos ac pacis ſtudioſos, tum cæſos victosque fuiſſe quum Cimbris acceſſiſſent; deinde, quod conſtat, a Cæſare ſuperatos; quibus præmiſſis, exinde conſequi fortitudinem Helvetiis negari poſſe, duxit *Schwartzius*: hæc ei conſequutio rectius omnino negaretur. Nam fortuna belli ſola metiendam eſſe bellantium virtutem, idonei judices nondum conſtituerunt. Nec ſi recepta hæc pro norma opinio eſſet, *Schwartzio* hic opis quicquam afferret. Edicto nempe huic qui ſtaret, Helvetiis duobus Cimbrico bello præliis victoribus, nec ullo victis, fortitudinis laudem addiceret juſtiſſime; Romanis vero nullam, quinquies fuſis, ac bis tantum victoria potitis.

Aequior certe *Schwartzio* & judex & hiſtoricus Helvetiis a ſe debellatis Cæſar fuit. Ingenii namque ſcriptoris officio defungens, geſtorum nullum,

ad Gentis virtutem pertinere posset, maligne silentio pressit, quantumvis parum honorifica Romanis nonnulla posteritati consignaret. Sic *equitatum suum omnem ad numerum quatuor millium, quingentis Helvetiorum equitibus propulsum* [1] haud reticuit: quem equitatum in prælio decretorio iterum ab Helvetiis rejectum, etiam refert [2]. Confessus ipse præterea est, illa die *magno* Helvetiis *ad pugnam impedimento* fuisse, *quod plurimis eorum scutis uno ictu pilorum transfixis & colligatis, quum ferrum se inflexisset, neque evellere, neque sinistra impedita, satis commode pugnare poterant; multi diu jactato brachio, præoptarent scutum manu emittere & nudo corpore pugnare:* Ea tamen constantia in tanta disparitate tegumentorum corporis eos pugnasse, ut *nisi vulneribus tandem defessi & pedem referre, & quod mons suberat circiter M passuum, eo se recipere Helvetii cœperint:* tum & in ancipiti nihilominus diu atque acriter pugnatum esse; & hoc toto prælio, quod horarum novem fuit, aversum hostem videre neminem potuisse [3]: Quæ quum unus memoriæ prodiderit Cæsar, sedulo a me revocanda hic erant, quando probent luculentissime, nulla ex parte imminutam Cæsaris ævo fuisse fortitudinem eam Gentis, quæ Cassianum exercitum sub jugum miserat. Cujus & hoc quoque documentum eo præbuit, quod in Cæsaris potestatem mox ab infelici pugna non concesserit: Sed tum demum, quum *rerum omnium inopia* superstites

Hel-

---

[1] De B. G. *Lib. I cap.* 15.
[2] Eod. Lib. *cap.* 24.
[3] Id. ibid. *cap.* 26.

Helvetii ad cxxx. millia, qui receſſerant in fines Lingonum, *adducti Legatos de deditione ad eum* mittere, ni fame perire vellent, neceſſe omnino habuerunt. Illis autem, quibus eximiæ fortitudinis exempla non erunt heic relata, eis aliud quid fortitudo ſit, quam Cæſari, omnibusque omnis ævi heroïbus ac Philoſophis, oportet: quibus cum idcirco non contendam ulterius. Vale. Dabam Lauſannæ Kal. Decemb. MDCCLII.

JO. JACOBI LAUFFERI *,

Eloqu. & Hiſtor. Profeſſ.

QUIS SIT VERE LITERATUS

PRÆLECTIO.

SI Programmate meo vos decipio, ſi ſpem veſtram deludo, ſi plura promitto, quàm teneo, nihil novi facio, mos ſeculi eſt: Librorum rubricæ præclara omnia promittunt, ſed promittunt. Hic Οὐρανολογίαν tradit, iſte Πανσοφίαν, ille arcana naturæ omnia in lucem ſe producturum dicit; ſed ſi quis cupidus librum evolvit lector, proh Deum immortalem, quantum illi ineſt inane! quâm parum promiſſis ſtat auctor magniloquus! quantum à ſpe ſua ſe dejectum videt curioſus lector! Ne igitur idem vobis accidat, *Aud. Honorat.* titulum Prælectionis meæ mutabo; non dicam, quis ſit vere Literatus, hoc forſan me latet: dicam ſaltem quis mihi Literatus videatur. Σοφὸν δεῖ εἶναι τὸν ἐπιγνωσόμενον τόν σοφόν, *Sapientem eſſe oportet, qui, quis ſit ſapiens, dicere vult*, inquit Xenophanes apud Laërtium. (†) Tan-

---

* Habita fuit hæc Prælectio litteraria, cum Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſionem auſpicaretur LAUFFERUS an. MDCCXVIII. Bernæ in Auditorio majori: Et digna omnino, quæ cum cæteris Cl. Viri Scriptis ab interitu vindicetur.

† Lib. 9. Segm. 20.

Tantum de me non præſumo. Nec vitio vertam cuiquam, ſi mecum non ſentit:

Nullius addictus jurare in verba magiſtri. (1)

Injurius eſſem, ſi alios in ſenſus meos cogere vellem; ſtet ſua cuique ſententia, maneat libertas cogitandi judicandique inter omnes æqualiter diviſa. Non miror, alios meam non præ ſe ferre faciem; ſi idem, quod habeo, cerebrum non habent, cur mirer! Diverſum eſt temperamentum, educatio & inſtitutio eſt diverſa, diverſa lectura, ideæ ſunt diverſæ, quid mirum, ſi opiniones & ratiocinationes etiam ſunt diverſæ? Nec is ſum, qui omnibus placere ſtudeam, impoſſibile hoc ſtultaque prorſus eſſet præſumtio: Et ut principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt, ita umbraticis doctoribus, *Pedantibus* & inani placuiſſe popello, parum glorioſum duco.

Ad vos redeo *Auditores Honorat.* Materia, quam Prælectioni noſtræ elegimus, ſatis eſt fœcunda, jucunda ſatis, apta Provinciæ, quam curæ noſtræ tradere voluit Summus Magiſtratus, literariæ, &, quod præcipuum rei caput eſt, juventuti, ſi bene tractetur, utiliſſima. Nam, quod adoleſcentulorum pauci literas amant, quod plurimos per vicos oſcitantes incedere vides, quod in turpi otio tempus conſumunt, quod libros ſcientiamque omnem horrent, hoc eſt, quia, qualis revera ſit, Literaturam neſciunt; ſordidam credunt, moro-

(1) Horat. Epiſt. I. Lib. 1.

morosam, tristem & severam, quod ergo illam non amant, mirum non est : Credunt jucunditatem & corporis cultum tollere omnem, misanthropiam inducere credunt, credunt illam jocos, lepores, hilaritatem pellere, imo omnes vitæ commoditates : Quid mirum, si illam abominantur? Inter tot millia, qui literas profitentur, pauci sunt verè literati; officiunt juvenibus pseudo eruditi : Vident barbatos magistros scientiam præ se ferentes, fronte caperatos, cultu corporis sordidos, affectibus animi impotentes, in circulis vel ineptè loquaces vel stupidos, parasitos, procerum favorem indignis ambientes adulationibus; quid mirum, si generosa illorum pectora ejusmodi homines spernunt? quid mirum, si quisque horum dicit:

quod sapio satis est mihi, non ego curo
Esse quod Arcesilas ærumnosique Solones,
Obstipo capite & figentes lumine terram,
Murmura cùm secum & rabiosa silentia rodunt. (1)

Quoties ergo tales doctos vident juvenes, ipsam eruditionem contemnunt, credunt illam non nisi in abjectos cadere posse animos : Quod magistri hi agrestes, inculti & inhumani peccant, scientiæ tribuunt; sed falluntur : Hominum vitium est non eruditionis. Si quis igitur Literaturam puram & nativis suis coloribus ipsis depingeret, si à scholarum pulvere & *pedantismi* maculis purgatam daret & nitidam, qualis naturâ suâ est; si osten-

(1) Pers. Sat. 3.

oſtenderet, nihil in vita humana ſuavius eſſe, nihil magis animi tædium levare, nihil magis hominem polire jucundumque in quaçunque converſatione reddere; ſi magnas animas, quas orbis miratur, illâ imbutas fuiſſe omnes; nec Scipiones nec Cæſares illam ſpreviſſe diceret, nullus prorſus dubito, quin multi generoſi juvenes ad illius amorem excitari poſſint. Et res revera ita ſe habet : Literatura enim eſt

- - - *id quod*
Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æquè,
Æquè neglectum pueris ſenibusque nocebit. (1)

Vos igitur, quos curæ meæ tradidit divina Providentia, *Adoleſcentes præſtantiſſimi*, oro ne vos à Literaturæ ſtudio abſterreant conſtrictæ falsò eruditorum frontes, unde

Lepor & riſus abiere ſalesque venuſti. (2).

Si benevolas mihi præbere vultis aures, dicam vobis, qui mihi non videantur, etſi ſcientiam ſemper crepent, Literati; larvam ipſis detraham, & quo magis illos ab eruditione vera removero, eo magis naturalis Literaturæ pulchritudo exſurget.

Quoties ergo videtis hominem ventoſum, ſcientiâ ſuâ inflatum imaginariâ, ſecurè quæſtiones difficillimas decidentem, meo periculo dicite, hunc hominem verè literatum non eſſe;

agyrta

---

(1) Horat. Epiſt. I. lib. 1.
(2) Buchan. Franciſc.

agyrta eſt, circumforaneus eſt, *ce n'eſt qu'un Charletan.* Nihil minus quàm altos ſpiritus gerit vera eruditio: (1) *Modeſtus eſſe & videri mavult doctus.* inquit Quintilianus, ſe ipſe enim noſcit, noſcit ingenii humani imbecillitatem rationisque infirmitatem; ſe toties ab erroribus deluſum ſcit, cùm veritatem tenere putabat: de incertitudine, de vanitate ſcientiarum humanarum convictus, in illis non gloriatur, multum de ſe non præſumit, opiniones ſuas pertinaciter nunquam defendit; ſi quid ignorat, liberrime fatetur, perſuaſus, ſcire omnia hominibus datum non eſſe; cum Cleobulo exclamat

Αμαθία τὸ πλεὸν μέρος ἐν βροτοῖσι λόγων τε πλῆθος.
Imperitia in hominibus majori ex parte dominatur & verborum multitudo. (2)

Contraria omnia faciunt falsò eruditi, diſputant, clamant, ſudant, æſtuant; nihil magis timent, quàm ne quid ignorare videantur; contradicentes ferre non poſſunt: Opiniones ſuas defendunt ſumma pertinacia, faciliusque quis eos ab omni vitæ ſtatu, quàm ab opinione ſemel præconcepta dejecerit. Ejusmodi igitur docti, qui ſe errare poſſe, non credunt, qui ob leviſſimas cauſas diſſentiunt, mox diſputant, in rixas deinde prorumpunt, conviciis ſe invicem denique lacerant acerbis; mea quidem ſententia verè literati non ſunt; ſe ipſi non cognoſcunt, nimium de ſe præſumunt, humanitatem, quæ præ-

(1) Lib. I. cap. 3.
(2) Diog. Laert. Lib. I.

præcipuum literati ornamentum eſt, non habent. In media aëris regione gignuntur tempeſtates, grandines, tonitrua, fulmina, ſupremus & ſubtilis æther perpetuò gaudet Sereno : Nondum igitur tenet

Edita doctrina ſapientum templa ſerena, (1).

Qui facile turbatur, quem acris bilis ſtimulat, qui clamat, æſtuat & ſpumat. Hæc eſt illa turba ſemidoctorum, qui orbem libris & controverſiis implent. Temperare mihi non poſſum, quin locum ingenioſiſſimi *la Motte le Vayer* apprime huc facientem adducam : (2) *Le plaiſir de voir*, inquit, *comme les dogmatiques s'entredechirent, & que ceux, qui ont le moins penetré dedans & qui n'en parlent, que ſur le rapport d'autrui, ſont ordinairement les plus opiniâtres & les plus animés à la Diſpute, quoi qu'ils combattent comme les Andabates en aveugles, & qu'ils n'agiſſent que comme ces crieurs publics, qui diſent toutes les marques des choſes perduës, bien qu'ils ne les ayent jamais vues.*

His ſignis ſe produnt ſemidocti homines: Clamant ubique & omnia levatâ, ut ipſi vocant, manu emugiunt, multo diſcurſu, anhelitu, jactatione, geſtu, motu capitis furentes. Jam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit, dicit rurſus noſter Quintil. loco citato.

- - *hæc*

---

(1) Lucret. Lib. II.
(2) Epiſt. 101.

. . *hæc fatuo tenduntur retia vulgo.* (1)

Ne igitur vos linguæ volubilitate & elocutionis vehementia decipiant, ne inanium verborum torrens vos abripiat, ad res attendite animum, non ad externa; videbitis illos nihil nisi fumum vendere & inania verba. Nunquam decipient perspicacem, (2) μήτε ἡλικίαν τῦ λέγοντος ἑκάστυ, μήτε σχῆμα ἢ δόξαν ἐπὶ σοφία ἀιδόμενον, ἀλλὰ κατὰ τὺς Ἀρεοπαγίτας ἀυτὸ ποιῦντα, ὅι ἐν νυκτὶ κρίνυσι δικάζυσιν, ὡς μη ἐς τὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν, *qui neque ætatem dicentis cujusque, neque habitum, neque de sapientia famam suspicit, sed qui cum Areopagitis idem facit, qui noctu & in tenebris judicant, ne ad dicentes, sed ad dicta respiciant.*

Videbitis multos, quos, si fidem illis adhibetis, nihil latet, qui qualitatibus occultis muniti, vel, si elegantiores esse volunt, globulis cœlestibus & subtili materia instructi, arcana naturæ omnia detegunt. Hi cum materia striata utrumque polum & terræ centrum perrepunt securi; hi cum cometis ex uno in alium vorticem prolabuntur sine ullo periculo : His via lactea æque nota, ac ambulacra sua quotidiana; Stellas, quæ illam componunt, non minori certitudine numerant, quàm suos, quos in loculis habent nummos. Non eodem, quo Icarus damno, ad solem accedunt, magnitudinem ejus metiuntur, sine ullo detrimento; cum stellis errantibus errant sine

---

(1) Buchan. Francis.
(2) Lucian. Ερμοτ.

ſine ullo errore. Et etſi Diogenes horum unum vel alterum interpellet, dicendo: ποσταῖος ἀπ' ὐρανῦ πάρει, (1) *à quo tempore è cœlo redux es*, reſponſione dignum non judicant. Etſi Socrates intercedat, illosque interroget: πότερα πότε νομίσαντες ἱκανῶς ἤδη τ' ἀνθρώπινα εἰδέναι ἐπὶ τὸ περὶ τῶν τοιύτων φροντίζειν, (2) *an, quia ſe res humanas ſatis cognoſcere arbitrantur, ad illa rimanda veniant*, ſtatim cum indignatione illum rejiciunt tanquam inſipientem & indoctum. In tam alto Scientiarum faſtigio conſtituti, cœteros homines tam parvos ſtupent; mirantur, tam abjecti animi dari poſſe mortales, qui ſua ipſorum cognitione contenti ſint; cùm illi ingenio ſuo naturæ vaſtitatem æquent, nihilque incompertum habeant: Horum unicuique lubens dixerim, quod de Demea ſervus Syrus dicit:

Rideo hunc: primum ait ſe ſcire: is ſolus neſcit omnia. (3).

Nec is mihi Literatus eſt, qui intempeſtivè & apud omnes de ſyſtemate ſuo & doctrina loquitur, qui in fæminarum circulis de Philoſophia diſſerit, qui indoctis militibus, quid ſit *ſuppoſitum*, quid *perſona* explicare vult; qui ſui plenus nec loci, nec temporis, nec perſonarum habitâ ratione, quæ legit, effutit

- - - - *inanes*

(1) Laert. Lib. VI. Segm. 39.
(2) Xenoph. de fact. & dict. Socrat.
(3) Terent. Adelph. Act. Sc. 2.

Hoc juvat haud illud quærentes, num ſine ſenſu
Tempore num faciant alieno. (1)

Si Arceſilaum audire vellent, diceret ipſis, nihil magis Philoſophiæ proprium eſſe, quàm τὸ καιρόν ἑκάϛων εἰδέναι, (2) *ſingulorum tempus noſſe.* Haud ſanè contemnenda eruditio eſt, in tempore occultare poſſe eruditionem. Unum, cùm mille hodie proſtent, intempeſtivi ejusmodi literati exemplum afferam ex Tacito: (3) Cum Veſpaſiani exercitus Romam tenderet, Vitelliusque tremens legatos illi obviam mitteret, *miſcuit ſe legatis Muſonius Rufus, Equeſtris ordinis, ſtudium Philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus: cæptabatque permixtus manipulis bona pacis ac belli diſcrimina diſſerens, monere. Idque plerisque ludibrio, pluribus tædio, nec deerant, qui propellerent proculcarentque, niſi admonitu modeſtiſſimi cujusque & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtivam Sapientiam.*

Si fortè vobis occurrit magiſter pallidus & lippus, qui meditabundus incedit, qui acerbum in vultu gerit rigorem, qui hominum commercia fugit, quem nemo vidit ridentem unquam

- - cui magna lubido tacendi
Atque ſupercilio brevior coma - - (4)

ne timeatis, hic, quem quærimus, Literatus non eſt.

---

(1) Horat. Sat. 4. Lib. I.
(2) Laert. Lib. IV.
(3) Lib. IV. Hiſt.
(4) Juven. Sat. 2.

eſt. Etſi integrum memoriâ teneat Calepinum, etſi Homeri patriam & Anchemoli novercam ſciat; etſi radices linguæ Arabicæ, Rabbinorumque farraginem ad unguem calleat omnem, etſi memoria ejus infinitis onerata ſit factis, cum ſenſu communi careat, cùm vitæ uſum neſciat omnem, difficilis, triſtis, moroſus, literatus mihi non eſt. Hic enim quoties pedem è muſæo profert, tanquam in alium orbem delatus, ceſpitat, ſtupet omnia, & ludibrio eſt omnibus. Huic

populus ridet, multumque toroſa juventus
Ingeminat tremulos naſô criſpante cachinnos, (1)

quoties ipſum vident. Si vera Literatura tales faceret homines, ſi eruditio tanto emenda eſſet pretio, primus eſſem, qui vos ab illa abſterrerem. Nam quid juvat omnia ſcire præter ea, quæ ad vitæ uſum faciunt? Quid mihi ſcientia, quæ neque mihi neque aliis commodum ullum affert, quæ me nec urbanum, nec politum, nec officioſum facit, quæ tranquillitatem vitæ & jucunditatem omnem tollit. Valeat eruditio. Non quæro, quomodo guttulares ſuas pronuncient Arabes; non curo, an Penelope fidelis manſerit Ulyſſi; quot remigibus hic navigaverit, ignoro: Qui primi Italiæ incolæ fuerint, neſcio.

Quid verum atque decens, curo & rogo, & omnis
in hoc ſum.

(1) Perſ. Sat. 3.

Condo & compono, quæ mox depromere poſſim. (1).

Rurſus ſi, qui ſolus doctus eſſe vult, videtis hominem, qui obliquis aliorum eruditionem aſpicit oculis, nec is mihi eruditus erit. Sunt ſanè ubique terrarum, quod pudendum dictu, præceptores, qui naſcens diſcipulorum ingenii acumen ferre non poſſunt, illudque hebetant omnibus modis, auctoritati ſuæ illos alligare, judiciumque illis demere ſummo nituntur ſtudio, libros, quibus ad aliquam cognitionem pervenire poſſent, è manibus eripiunt; periculoſos eſſe perſuadent: Id tantùm agunt, ut, quod ipſi dicunt, diſcipuli accipiant ſine ulla contradictione, auctoritatis ſuæ præſidium in ſubditorum ignorantia quærunt: Scientes, ſe per præceptores ſuos in adoleſcentia indignis modis per ambages circumductos, idem faciunt ſuis diſcipulis, per eadem devia ducunt; etſi brevem & rectam ad cognitionem perveniendi ipſis oſtendere poſſent viam. Statim ac eruditionis famam quandam acquiſiverunt, deſidiæ ſe tradunt; & ne juniorum quis palmam hanc ſibi præripiat, cavent ſedulò. Hos, ut ſolet, lepidè depingit Lucianus, dicens: (2) Οἱ δὲ ἤδη αἰσθόνται ἐξηπατημένοι, ὁψέποτε γέροντες ἤδη γενόμενοι, ὀκνῶσι ἀναγρέφειν αἰδούμενοι, εἰ δείσει τηλικούτους ὄντας ἐξομολογήσεσθαι, ὅτι πράγματα παίδων ἔχοντες, ὑπ' αἰσχύνης, καὶ ἐπαινῶσι τὰ παρόντα, καὶ ὁπόσους ἂν δύνονται προτρέπουσιν ἐπὶ τὰ αὐτὰ, ὡς

ἄν

---

(1). Horat. Epiſt. I. Lib. I.
(2) Ερμοτίμ: ſerè ſub fin.

ἂν μὴ μόνοι ἐξηπατημένοι ὦσιν, ἀλλ' ἔχωσι παραμυθίαν τὸ καὶ πολλοὺς καὶ ἄλλους τὰ ὅμοια παθεῖν αὐτοῖς, καὶ γὰρ ἂν κἀκεῖνο ὁρῶσιν, ὅτι ἦν τ' ἀληθὲς εἰπωσιν, ἤδη ἔτι σεμνοὶ ὥσπερ νῦν, καὶ ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς δοξῶσιν, οὐδὲ τιμήσονται ὁμοίως. *Ibi verò etsi ſentiant, ſe deluſos, jam ſerò ſenes facti, retrogredi ægrè ferunt, erubeſcentes, ſi oporteat, tales cum ſint, confiteri, ſe puerilibus occupatos, id non intellexiſſe. Itaque in iisdem manent ob pudorem, & laudant præſentia, & quàm multos poſſunt, ad eadem incitant; ne ſoli erraverint, ſed conſolationem habeant, multos & alios cum iis eadem pati. Deinde & hoc vident, ſi verum dicant, fore, ut non amplius clari, ut nunc, & aliis ſuperiores videantur & eodem modo honorati.* Hinc illæ lachrymæ. Ejusmodi hominibus profectui cognitionis majus impedimentum non datur, peſtes ſunt literarum. Illis dici poteſt, quod Fabio M. dixit Scipio Africanus: (1) *Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi ſit, ut nolimus quenquam noſtri ſimilem evadere civem. Id enim non eorum modo, quibus inviderimus, ſed Reipublicæ & penè omnis generis humani detrimentum ſit.*

Nemo minùs Literatus mihi videtur, quàm qui unicè πρὸς τὰ ἄλφιτα ſtudiis incumbit, quem offa monet, cui venter ingenium acuit, quem turpe lucrum ad ſcientiarum amorem excitat ſordidum & avarum; qui paraſitus eſt, qui ex domo in domum currit, qui potentium limina ſalutat, illorum captat favorem, illisque adulatur indigno modo: Abjecti animi eſt. Vacuum cerebrum ha-

(1) T. Liv. Dec. III. lib. VIII.

habeat, oportet, qui consistere & secum morari non potest; qui læsà proximi famâ gaudet, qui urbis rumores excipit aliisque rursus narrat, qui quot vini cadi carnisque libræ per mensem in hac vel illa domo consumantur observat, qui mulieris ad instar scit

- - - secreta novercæ
Et pueri : quis amet, quis decipiatur adulter,
Dicet quis viduam prægnantem fecerit & quo
Mense . . . . . (1)

Longè absit à nomine verè literati ejusmodi propudium.

Nec tandem is mihi perfectè Literatus est, qui os populi meruisse gaudet; qui vitreæ inservit famæ ineptus; qui somnum abrumpit, oculos hebetat, sanitatem minuit, ut nominis celebritatem acquirat, qui per totam vitam laborat in titulum sepulchri. Ego quidem, ut non spernendam, ita nec affectandam, nec anxiè quærendam eruditionis famam existumo, & si tranquillitatis, somni, sanitatis dispendio venire debet, cum tali conditione non opto. Dicam potiùs cum Seneca: (2) *Magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestia laudatio hæc constat : O hominem literatum! Simus hoc titulo rusticiore contenti : O virum bonum!*

Si igitur *Audit. Honorat.* stulta quorundam literato-

---

(1) Juven. Sat. 6.
(2) Epist. 88.

ratorum ſuperbia vobis tædio eſt; ſi doctorum vos offendunt contentiones; ſi, qui ſolus in converſationibus ſermonem occupat, vaniloquus Syſtematicus moleſtus eſt; ſi pallidus vos terret magiſter & moroſus, ſi invidum non fertis literatum, ſi doctus vobis paraſitus nauſeam creat, ſi vanus celebritatis affectator contemtui vobis eſt, cogitetis, oro: hos omnes verè non eſſe literatos; longè alios facit literarum ſtudium, ſi, quo debet, tractetur modo.

Quis mihi tandem verè literatus videatur, rogatis; dicam paucis: Is mihi Literatus eſt, qui legit, non tam ut doctior, ſed ut fiat melior, qui non verboſam & vanam quærit ſcientiam, ſed, quæ ad vitæ uſum facere poſſunt, præcepta ſalubria; cui ingenium acuunt, mores formant, animum poliunt & limant literæ: Qui ſe cognoſcere ſtudet & ex ſe alios; qui quo magis legit, eo magis ignorantiam ſuam videt, & eo minus de ſe ipſe præſumit. Cui frons triſti non eſt exaſperata gravitate; quem ſales, lepores & joci comitantur ubivis honeſti: Qui lenem & urbanam agit vitam; qui nec ſibi ipſe in ſolitudine, nec aliis in converſatione moleſtus eſt. Cæterum comis, blandus, facilis, bonus amicus, civis bonus, ἀλλήμερος, qui ſibi & amicis morem gerit: Qui ſibi nihil, aliis ignoſcit omnia. Qui cum unoquoque pro conditione ſua agit, balbutiens cum infantibus, non doctus cum indoctis, eruditus contra cum eruditis, vitiis exceptis Ariſtippo ſimilis, quem omnis decuit color, (1) ἱκανὸς ἁρμόσασθαι

(1) Diog. Laert Lib. II.

σασθαι καὶ τόπῳ, καὶ χρόνῳ, καὶ προσώπῳ, καὶ πάσαν περίστασιν ἁρμονίας ὑποκρίνασθαι, *qui omni loco & tempori & perſonæ ſervire, quique omnem ipſe perſonam aptè ſuſtinere poſſit :* Officioſus erga omnes & humanus; quem optimi quique amicum optent. Tales Iſocrates haud ſine ratione doctos judicat, qui in rebus dubiis optimum eligunt, qui cum unoquoque ſecundum conditionem ſuam agunt, (1) καὶ τὰς μὲν τῶν ἄλλων ἀνδίας καὶ βαρύτητας εὐκόλως καὶ ῥᾳδίως φέροντας, σφᾶς δ' αὐτοὺς ὡς δυνατὸν ἐλαφροτέρους καὶ μετριωτάτους τοῖς συνοῦσι παρέχοντας, μηδὲ ἐξανιστα μένους αὐτῶν, *qui aliorum acerbitates & moroſitates blandè & facilè ferunt, ſe ipſos verò quantum fieri poteſt, moribus facillimis & moderatiſſimos illis, cum quibus ſunt, exhibent; quique ſemper apud ſe ſunt.* Literati mei vita ſit, qualis Pamphili ſui fuiſſe dicit pater apud Comicum

facilè omnes perferre ac pati
Cum quibus erat cumque unà, iis ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, adverſus nemini,
Nunquam præponens ſe aliis : ita facillimè
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares, (2).

Sit alius doctior, meus contrà urbanior ſit literatus. Infinitis dictis memoriam habeat oneratam alius; meus valeat judicio : Sciat alius, qui ſint incolæ in luna cæterisque planetis, quidque in illis geratur; quid in corde ſuo ſit, ſciat meus. Cognoſcat alius omnia; meus noſcat ſeipſum :

Jactet

---

(1) Panathen.
(2) Terent. Andr. Act. I. Sc. 1.

Jactet alius ſcientiam; dicat meus ſine ullo rubore, ſe nihil ſcire. Teneat alius memoriter ſeriem omnium Ægypti regum; officia humanitatis contrà meus in numerato habeat omnia. Captet alius auram popularem; non curet illam meus: Plaudat illi inſipidum vulgus; hunc meum probent pauci, ſed boni. Triſti auſteritate quærat alius ſui æſtimationem; meus morum facilitate: Sectetur alius titulos & honores; careat meus ambitione. Abripiat alius affectuum vehementiâ & eloquentiæ flumine homines, habeatque ſectatores multos; meus contrà animi tranquillitate gaudeat, ſit licet ſolus. Clamet, diſputet alius; meus ſit quietus, non loquax; verbo

. . . caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & ira!
Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides?
Natales gratè numeras! ignoſcis amicis?
Lenior & melior fis accedente ſenectâ!

Jam te agnoſco, Salve Literate!

Natura & induſtria hunc meum faciunt Literatum. Oportet ingenium habeat promtum, ſpiritum ſublimem, generoſum pectus, judicium acre & naturalem ad literas amorem: Cogitet naturaliter, quæ omnium ſeculorum magni hömines cogitarunt; ſentiat, ſi quid eleganter ſcriptum legit, gaudeatque; ſi ſublime quid in ſcriptis aliorum invenit, immoretur ei diu, ſit hoc ipſi incitamentum, magna & ſublimia quæque cogitandi: Si quid frigidum eſt vel pueriliter dic-

tum, malè ipſum habeat. Sunt natura ſua multi adeò hebetes, craſſi, ſtipites & bardi, qui in iis, quæ maximè ingenium ſapiunt, ſaporis nihil inveniunt, qui ſublimibus non afficiuntur dictis, quos nec ſales, nec lepotes titillant, ſint licet venuſtiſſimi; hi in literis nunquam præcellent, etſi omnis adhibeatur induſtria. Et ut Muſicus, quem dulcis & perfecta harmonia extra ſe non rapit, cujusque aures contra ſonis non læduntur diſſonantibus, perfectus nunquam erit; ita nec ille perfectus erit literatus, quem nec inſipidè & pueriliter dicta offendunt, nec ſublimia & eleganter expreſſa ſuaviter afficiunt.

Longè igitur errant, meâ quidem ſententiâ, patres, qui rei familiaris ſubductâ ratione filios ſtatim, hunc ad mercaturam, ad militiam iſtum, illum ad literas deſtinant, velint, nolint, nunquam penſitatis ingeniis & inclinatione liberorum; hinc perſæpè fit, ut, qui militiæ aptior fuiſſet, literis deſtinetur, & cum nullam propenſionem ſentiat ad literas, nec ingenium habeat ullum, per totam vitam necquicquam ſudat miſer, manet bardus infelixque eſt multo nomine. Sed ſi in puero ingenium micat, ſi inclinatio verſus literas ſe prodit naturalis; tunc omnis adhibenda cura: Si ad ingenium felix accedit ſolers cultura, fieri aliter non poteſt, quin ad unguem fiat homo.

Nutricem, ſi fieri poſſet, ſapientem cum Chryſippo vellem; ſaltem ne ſit ſermo ejus vitioſus, ne ſuperſtitionibus & inanibus fabellis alumni nutriat animum; ne diabolos pictos; horribilesque alias figuras ipſi oſtendat, ne manducis, ſpectris, larvis

larvis ipſum terreat: Ejusmodi enim terricula-menta altiſſima tenero imprimunt veſtigia cerebro, quæ per totam deleri vitam non poſſunt, hominem timidum reddunt, quoties ſolus & in tenebris eſt; imò fovemus ſæpiùs ineptiſſimas, quas nobiſcum natas crédimus, opiniones, quæ, ſi rectè inſpicias, non niſi ab ineptis ſunt nutricibus: Et quia hoc hominum genus plerumque ſuperſtitioſum eſt, manibus illarum eximatur puer, quàm citò fieri poteſt.

Parentes doctos voluit Quintilianus; mihi ſatis eſt, ſi animi nobilitate vigent, ſi ſunt generoſi & politi, ſi urbaniorem vitæ conſuetudinem habent: Plus enim patrium exemplum, plus limata hæc vitæ conſuetudo in pueros poteſt, quàm omnia alia præcepta, arte edocta. Amore potius quàm metu filium ad officium impellant.

Hoc patrium eſt, potiùs conſuefacere filium
Sua ſponte rectè facere, quàm alieno metu;
Hoc pater ac Dominus intereſt: hoc qui nequit
Fateatur neſcire imperare liberis (1)

inquit Micio apud Comicum.

Præceptores, quales voluerit Quintilianus, dicam: *De pædagogis hoc ampliùs*, inquit, *ut aut ſint eruditi planè, quam primam eſſe curam velim, aut ſe non eſſe eruditos ſciant: nihil enim pejus eſt iis, qui paulum aliquid ultra primas literas progreſſi*

(1) Terent. adelph. Sc. I. Act. I.

greſſi falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam poteſtatis, quo ferè hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi, atque interim ſævientes, ſtultitiam ſuam perdocent. Sit meus præceptor humanus & benè moratus, urbanæ rationem vitæ teneat omnem; non loquatur ut ſuperior cum auctoritate & triſti ſeveritate, ſed ut amicus amico: Luſus ſit ejus inſtitutio, rogetur diſcipulus & laudetur. Non oneret nimis memoriam; paucis enim ad bonam mentem opus eſt literis, ſed acuat judicium, formet mores: Amorem virtutis, & vitii fugam exemplis potius quam definitionibus doceat; idem, quod Horatii fecit optimus pater, faciat.

. . . . . *Sic me*
Formabat puerum dictis (inquit) *& ſive jubebat*
Ut facerem quid: habes auctorem quo facias hoc,
Unum ex judicibus ſelectis objiciebat:
Sive vetabat: An hoc inhoneſtum & inutile factu
Nec ſit, addubites! flagret rumore malo quum
Hic atque ille. (1)

Nihil altiùs in mentem puerorum deſcendit, quàm notabilia virtutum vel vitiorum exempla; hæc inſtitutio naturæ illorum quàm optimè convenit, exemplis quid fugiendum quid ſequendum diſcunt ſine ullo labore: Videat præprimis præceptor, ut diſcipulus non tam doctior fiat quàm moratior.

Bilem

(A) Horat. Sat. 4. Lib. I.

Bilem mihi movent parentes, qui in re veſtiaria, in ſuppellectili &c. magnifici, & in omnibus aliis ſumtuoſi & liberales, in hoc uno parſimoniam laudant, in quo honeſtior eſſet prodigalitas; ſcilicet in liberorum educatione. Hi filios ſuos præceptoribus, qui quàm minimum pecuniæ poſtulant tradunt, benèque de ſe actum putant, ſi qui liberorum majori ipſis non venit pretio, quàm cui equorum ſuorum curam gerit: Sibi plaudunt, ſi ad abjectiſſima quævis miniſteria illo abuti, & ſi illum impunè contemnere poſſunt. Sed quid boni; per Deum vos oro, ab ejusmodi vili mancipio diſcere poteſt puer ingenuus? an ejusmodi animus ſervilis generoſi quid illi inſpirare? an mentem ejus polire poterit, qui ipſe agreſtis & incultus eſt? an diſcipulus, quem a parentibus contemtum videt, honorabit præceptorem? an ſcientiam amabit, quam ipſi parentes ſpernunt.

Dii majorum umbris tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco - - - - - (1)

Stomachum rurſus mihi movent orbiliones inhumani: qui ſui impotentes, omnem bilem in miſeros evomunt diſcipulos, qui ob leviſſima delicta illos lacerant ſine ulla miſericordia, nunquam cogitantes, in teneram & injuriis obnoxiam ætatem nemini cuiquam nimium licere debere: Faciunt cru-

(1) Juven. Sat. 7.

crudelitate ſua hi carnifices, ut etiam adultâ ætate diſcipuli illos fugiant

- - - *ut Druſonem debitor æris.* (1).

utque per totam poſteà vitam extimeſcant, quoties librum vident. Inhumani hi pædagogi optima ſæpiùs perdiderunt ingenia. Meus contra præceptor omni humanitate & lenitate ad ſtudiorum amorem alliciet pueros, (2) *& cavebit imprimis, ne ſtudia, qui amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel præceptam ultra rudes annos reformidet.*

Magnum felicitati pondus addere (3) putavit quisquis Alcibiadis encomium ob hippodramiæ victoriam in Olympicis ſcripſit, ex magna & præclara civitate ortum eſſe; majus mihi videtur, bonis & generoſis prognatum eſſe parentibus; majus adhuc, perſpicacem, præjudiciis liberatum habere præceptorem & urbanum; omnium maximum verò, naturam habere bonam, ſpiritum acrem & ingenium ſubtile: Absque enim natura, necquicquam ſunt reliqua omnia. Nam & in magnis civitatibus dantur homines abjecti animi, & ex ingenioſis parentibus ſæpè gignuntur ſtupidi & bardi, nec ex quovis ligno præceptor optimus Mercurium facere poteſt: Ingenium contra ſæpius loco horum omnium eſt; tanta enim ejus poteſt vis, ut ex educationis præjudiciis & mala emergat conſuetudine, ut, victis omnibus impedimen-

---

(1) Horat. Sat. III. Lib. I.
(2) Quintil. Lib. I. cap. I.
(3) Plutarch. ἐν B. Demoſth. ab initio.

dimentis, unum ſibi ſufficiat, ut & patriæ & parentum obſcuritatem diſſipet, totoque effulgeat orbe. Sed ſi benignum hæc omnia in unum contulit fatum, ſi natura, ſi patria, ſi parentes, ſi præceptores ſunt boni, in humanis majus ſperari non poteſt. Videbunt ergo parentes, ut tanta ſpe dignus evadat filius, non parcent illi ſumtibus, nec præceptor labori, nec deſeret hic diſcipulum etſi jam provectioris ſit ætatis.

Hoc maxime peccare mihi videntur plerique patres, quod filiis citius, quàm par eſt, præceptores adimunt: Illâ ætate qua ſanguis æſtuat, qua à violentiſſimis affectibus in quævis præcipitia rapiuntur, quâ maximè duce opus haberent, plerumque ſibi ipſi permittuntur; illo tempore, quo adoleſcente judicio maximos in ſcientiis progreſſus facere poſſent, inſtitutio ceſſat, ac ſi jam omnia ſcirent. Qui id faciunt patres, cur querantur, non habent, ſi filii, fræno laxato, turbantibus affectibus in omne nefas ruunt, ſi tot ſumtus ſunt ſupervacanei, & irriti tot labores; ſi quæcunque didicerunt, in ſpem futuræ didicerunt oblivionis. Cùm candet ferrum, tunc cudendum, tunc formanda argilla, quando quàm maximè eſt apta, tunc viæ duce opus habet adoleſcens, quando cum Hercule in bivio conſtitutus deliberat an ad dextram, an verò ad lævam eundum ſit; quam enim tunc eligit viam, per totam poſteà vitam tenebit.

Adoleſcens igitur meus literatus, manibus præceptoris tarde emiſſus, ſi ſemel rectam inſiſtit viam, hilari animo deinde ad metam perget felicem

licem : Ducem viæ & rectorem habebit animum, ingenium ipſi prælucebit ; exemplo patris & præceptoris monitis devia vitabit & offendicula quævis : Solus in via nec ſibi ipſe tædio erit, nec rurſus aliis, cum quibus eſt, moleſtiam creabit. In ſolitudine, in hominum commercio illum vobis oſtendam, facite periculum *Audit. Honorat.* ſolertem dabo, dicetis ſemper eundem eſſe literatum.

In ſolitudine : Nunquam minùs ſolus eſt, quàm cùm vel maximè ſolus eſſe videtur. Ab aliis ſecluſo totum hominum genus præſens eſt, naturam humanam ſcrutatur, ex ſe judicat alios. Converſatur cum viris omnis ævi maximis ; ſcripta illorum præclara, quæ curſum omnium ſeculorum ſuſtinent, legit, in iisque oblectamentum quærit ſuum : Bibliothecam ergò ſibi comparat parvam quidem, ſed ſelectam, hanc cum Oſmandua Ægypti rege τὸ τῆς ψυχῆς ἰατρεῖον appellat : Omnia legere, non gloriatur, ſed bona legere, hoc maximè gaudet. In librorum lectura non ſyllabas, non verba, ſed ſenſum communem, & rerum pondus & præcepta vitæ quærit ſalubria ; non definitiones aliorum & diſtinctiones pueriliter memoriæ tradit, ſed ipſam rerum naturam penetrare ſtudet ; quod ſi ipſi contingit, definitionibus opus non habet. Ad ſolida cum ſufficiat, in futilibus non atterit ingenium : Metaphyſica & ideas abſtractas, quæ ad vitæ uſum non faciunt, relinquit aliis ; non curat quæſtiones curioſas & inutiles Scholaſticorum : Si Sophiſma aliquod vel Syllogismum ſolvere non poteſt, non cruciatur, nec propterea vitam tædio finit, ut ſultè

ſtultè fecit Stilponis Megarenſis Antagoniſta. Non auctoritate, non memoria ſtat: Judicio clarorum virorum multum tribuit, aliquid etiam ſuo vindicat. Non tantùm ex Commentario ſapit, nec tantùm dicit: (1) Hæc Zeno, hæc Cleanthes &c. Aliquid de ſuo ipſe profert, audet ipſe aliquid. Cùm æquè ac alii cerebrum habeat, cogitat, ſe non minùs quam alios de rebus judicare, maximosque viros non tantùm æquari, ſed & ſuperari poſſe, imò & errare; in nullius ergò jurat verba; cognitionem rerum in medio omnium poſitam credit: Inquirit ergô ipſe in veritatem, proprio ſtat talo; generoſior eſt, quàm ut odium, amorem, opinionem, judicium non niſi indita habeat & juſſa. Legit ergò libros ſine præjudicio; probat, quæ probanda; rejicit quæ rejicienda; quæ obſcura ſunt, fatetur ſe non intelligere; admiratur, quæ ſublimia: Occaſione lecturæ reliqua præclara omnia meditatur. Non tamen eò usque ſe libris tradit, ut propter illos hominum obliviſcatur; ſi ſpiritum fatigatum, ſi vires exhauſtas videt, ſi nimiam meditationem moroſitatis quid ſibi contrahere ſentit, relinquit libros, hominum urbanioris notæ commercium quærit, exhilarat animum, ridet cum illis & jocatur honeſtè. Idem cum Euripidis Menelao dicit

\- - - - ἡ δ' ὁμιλία
πάντων βροτοῖσιν γίγνεται διδάσκαλος. (2)

(1) Vide Senec. Epiſt. 33.
(2) In Andromach.

Confabulatio omnium hominibus fit magiſtra. Tanti ipſi non ſunt libri, ut propterea amicos negligat; non tanti facit mortuos, ut propterea viventium commercium fugiat. Jocari, cantare, armis, venatione &c. corpus exercere, turpia non putat; Sufficit ad hæc omnia, & mixturâ hâc jucundâ ſe verè literatum probat.

In converſatione & in circulis non ſolus ſermonem occupat, dat locum ſua dicendi unicuique: plura audit quàm dicit, nec ſcientiæ nec ingenii ſui eſt oſtentator, nec alienæ laudis obtrectator: Æquô animô fert alios ſecum eadem non ſentire. Diſputat rarò, rixatur nunquam, obtortô alios collô in ſuam ſententiam trahere non laborat: Cedit facilè, faciliùs adhuc, ſi erravit, errorem agnoſcit. De ſe nihil, pauca de aliis loquitur; perſonæ, tempori, loco ſe accommodat: non eſt curioſus. Rigidus aliorum non eſt cenſor; pro ſuo modulo unicuique permittit vivere, vel ſi quid culpandum in amico eſt, præſenti dicit; non vellicat abſentem unquam. Characteres, mores, conſuetudines hominum obſervat; maledicum, læsâ proximi famâ gaudentem, invidum, querulum, percunctatorem, garrulum, adulatorem fugit,

- - abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante: Solutos
Qui captat riſus hominum famamque dicacis:
Fingere, qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit; hic niger eſt, - - (1)

hunc

(1) Horat. Sat. Lib. I.

hunc cavet: Bonâ contrà bonorum delectatur converſatione; ſi candidas invenit animas, ſi homines politos & urbanos videt, his ſe adjungit, horum commercio magis magisque ſe polire ſtudet; ex his jucunda literata omnia audit, ſuaque viciſſim profert: Horum ſermonibus & jocis urbanis exhilarat mentem, reficit vires, ut poſteà animus ad ſeria fiat aptior. Optimos quosque ſemper ſibi facere nititur amicos, & horum imitatur mores.

Exemplo igitur patris, præceptoris monitis & urbanorum hominum conſuetudine & familiaritate mores formatus, optimorum librorum lectione animum imbutus, adultâ ſatis jam ætate, demùm exteris ſe credit terris meus literatus, peregrinatur, non tantum ut montes, ſilvas, flumina, campos à patriis diverſos videat, ſed ut exterorum converſatione nationis ſuæ vitia exuat: Iter ſuſcipit, non tantùm ut ædificia, turres, urbes videat, ſed ut educationis præjudicia deponat. Doctos & ob eruditionem claros viſit viros, non tantùm ut ſe illos vidiſſe gloriari poſſit, quod multi faciunt, ſed ut animum ſuum excellente quaque cognitione imbuat. Si antiquam aliquam Inſcriptionem, ſi Gothicum Manuſcriptum, ſi Nummum obliteratum explicare non poteſt, non admodum laborat; diverſos potius diverſorum populorum cultus, religiones, placita, inſtituta, leges, conſuetudines, inclinationes, temperamenta obſervat diverſa, ut de quaque re cum cognitione judicare poſſit. Æquus rerum æſtimator, quæ in exteris laudanda invenit & imitanda, imitatur & laudat; quæ in natione ſua culpanda videt,

Spiritum, ingenium, eruditionem, bonas consuetudines, elegantes mores arctis patriæ finibus non includit, quod plerumque vitium est eorum, qui extera non viderunt : Dari apud omnes nationes excellentia ingenia, dari urbanos, doctos, officiosos homines, in comperto habet : Exterus igitur, concivis, idem ipsi est,

Tros Rutulusve fuat,

modò sit honestus, ulterius quærit nihil. Nullam igitur nationem spernit, nullum hominem, dat unicuique, quam debet, laudem sine invidia. Humanarum ita rerum cognitione imbutus, optima doctrina animum instructus, exteris, qui publici saporis non sunt, haud ignotus, à præjudiciis liberatus, cum divino illo Horatii : *Nil admirari* in patriam tandem redit. Redux dat se civitati, dat se amicis totum ; omnia humanitatis officia exercet erga omnes : Honores nec affectat, nec detrectat; non ambit solicitè munia publica, nec si offeruntur rejicit, id unicè videt, ut patriæ utilis esse possit.

Si quisquam est qui placere se studeat bonis
Quàm plurimis, & minimè multos lædere
In his hic meus *nomen profitetur suum.* (1)

Reliquam deinde leniter agit vitam, æquus erga omnes, charus amicis, civibus charus, ipse animo tranquillus & hilaris, potens sui, nec sperans

(1) Terent. Eunuch. Prolog.

rans nec metuens multa. Qualis erga homines & in ſocietate eſt, habetis meum Literatum; qualis erga Deum ſit, alia diſſertatione, ſi occaſio dabitur, dicam.

Quid dicitis jam, futuri mei *Auditores Præſantiſſimi*, an ejusmodi literatus fugiendus, an potius amandus & bonis quibusvis exoptandus? An non nobilem quemdam ardorem ſentitis iisdem veſtigiis inſiſtendi? Generoſa habetis pectora? non vultis agreſtes eſſe & inculti? Sequimini meum Literatum. Vultis animum polire, mores formare, ingenium acuere? colite literas & literatorum converſationem. Ab optimis quibusvis æſtimari vultis? vultis patriæ, amicis utiles eſſe? facite, quod meus facit Literatus. Vultis lenem agere vitam & urbanam? animi tædium levare, ſedare affectuum perturbationes, mentis ægritudinem pellere vultis? quis nollet? ſequimini literaturam; non eſt ex tetricis, non ex moroſis, ridentem & jocantem ferre poteſt, reliqua vitæ oblectamenta non pellit, ſed ſalem potius illis & jucunditatem addit: Non ſibi ſoli poſtulat te vivere & ſuâ cauſâ excludi cætera gaudia,

Verum ubi moleſtum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, ſat habet, ſi tum recipitur. (1)

Hinc omnis ævi maximi illam merito amarunt viri: Vultis exempla? Infinita proſtant, Imperatores, Reges, exercituum Duces invictos numerat

(1) Terent. Eunuch. Act. III. Sc. 2.

rat inter amatores ſuos: Clariſſima quæque capita, quæ rerum ſummam tenuerunt, quæ famâ ſuâ totum implerunt orbem, quæ ſplendore ſuo omnium ſeculorum tenebras diſſiparunt, illi ſe dedere non erubuerunt, cur vos erubeſceretis?

Stat igitur vobis Sententia tam magna exempla ſequendi? habebitis me ſocium. Ideam quidem mei Literati me aſſequi non poſſe lubens fateor, ſequi tamen præ me fero. Si quæ ad veram Literaturam ducit, ingredi vultis viam, chari mihi eritis; habetis me comitem non triſtem, non moroſum; id ſemper agam, ut ex veſtro commodo meum mihi parem commodum. Præter lectiones ordinarias de tempore in tempus & quando commodum erit, dabo extraordinariam, ad quam invitatos volo ſine diſcrimine omnes Literaturæ amatores. Fortunet cœpta noſtra ſummus DEUS.

JOH. GEORGII ALTMANNI

EXERCITATIO PHILOLOGICA

In Quæstionem,

An Apostolus Paulus Ephesi cum Bestiis pugnaverit?

Ad illustranda Loca 1. Cor. XV. 32. 2. Cor. I. 9.
& 2. Tim. IV. 17.

ARGUMENTUM.

§. I. QUæstio proponitur. §. 2. Prima Interpretum sententia, quæ statuit per bestias homines malos & feroces esse intelligendos describitur & rejicitur. §. 3. Secunda sententia, qua statuitur Paulum revera cum bestiis pugnasse exhibetur. §. 4. Eadem hæc sententia examini subjicitur & confutatur. §. 5. Tertia sententia, qua statuitur, hostes Pauli equidem id cogitasse & egisse ut ad pugnam cum bestiis damnaretur, sed Deo providente irrito consilio, describitur. §. 6. Difficultates contra hanc interpretationem afferuntur. §. 7. Deylingii difficultates proponuntur & expenduntur. §. 8. Difficultates Deylingii & Pearsonii ulterius discutiuntur, & ad illas respondetur. §. 9. Ad quæstionem de jure Civitatis Apostoli respondetur. §. 10. Sensus loci 2. Cor. I. 9. exponitur. §. 11. Locus 1. Tim. IV. 17. producitur, variæ sententiæ proponuntur. Per Leonem, à quo liberatus fuit Paulus, non Neronem, sed bestiam, cui proponendus fuerat Apostolus intelligendam statuitur. §. 12. Brevis Applicatio subjungitur.

§. I.

VEtus eſt quæſtio, & ad hunc usque diem doctorum virorum agitata diſquiſitionibus, quo ſenſu intelligenda ſint verba Pauli 1. Cor. 15. 32. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριωμαχησα ἐν Ἐφέσῳ, *ſi quantum in hominibus ſitum erat, adverſus beſtias pugnavi Epheſi*, & 2. Cor. 1. 9. Τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν, *decretum mortis habuimus.* Tres occurrunt interpretationes, inter ſe diverſæ.

Prima illorum eſt, qui ſtatuunt, metaphoricam eſſe Pauli locutionem, illumque malos homines pro beſtiis accepiſſe. Altera contendit, Paulum omnino cum beſtiis decertaſſe. Tertia verba Apoſtoli equidem ad literam intelligit, ſed malum hominum propoſitum, Deo benigne providente, fuiſſe impeditum affirmat. Quid jam de unaquaque habendum ſit, brevi diſquiſitione inquirendum eſt.

§. II.

Primam ſententiam defendunt Veteres & poſterioris ætatis plurimi Viri docti, ingenio & doctrina inclyti, *Heinſius*, *Witſius* aliique. Verum equidem, quod non ſit inſolitum Scriptoribus ſacris & profanis malos, multisque criminibus onuſtos homines *beſtias* vocare, ut id pluribus exemplis *Henr. Majus*, *fil.* Obſervat. Sacr. Lib. 1. p. 78. &c. docet Damus hoc, & utraque largimur manu, exempla frequentiſſime occurrere apud Scriptores optimæ notæ, nec non apud ipſum Demoſthenem, ubi vitioſi & perditi homines cum omnis generis beſtiis comparantur; ſed hæc nondum probant,

Paulum hoc loco de hominibus ſceleſtis potiùs fuiſſe locutum, quàm de beſtiis, cum quibus ſæpe hominibus ad infauſtam pugnam damnatis, decertandum fuerat, nec locus producitur, quo probetur, diſceptationem aut certamen, cum teterrimæ indolis hominibus θηριομαχίαν fuiſſe vocatum: potior autem ratio hæc eſt, quod huic ſententiæ accedere non poſſimus, quia monente ad hunc locum *Pareo*, à literali ſignificatione recedendum non eſt, ubi naturalis commode adhiberi poteſt. Res eſt etiam omnibus interpretibus ſatis nota & cognita, à ſenſu Grammatico & reali nunquam in Scripturæ interpretatione eſſe recedendum, niſi clarum & manifeſtum ſit, quod nos loci alicujus ſenſus & melior interpretatio ad allegoricum vel metaphoricum deducat.

§. III.

Aliam ſententiam propugnavit Vir de bonis literis optime meritus, haud ita pridem nobis ereptus *Jacobus Elſnerus*, Obſervat. in N. T. Tom. II. p. 131. cujus verba damus. „ Plerosque in-
„ terpretes recentiores maxime in eam ſententiam
„ ingredi video, hanc Pauli θηριομαχίαν non
„ de pugna cum beſtiis, ſed immanibus hominibus Epheſiis (Actor. XIX.) exponendam eſſe,
„ hoc potiſſimum argumento inducti, quod Lucas in Actis nullam rei tam memorabilis mentionem injecerit; tamen fortiora ſunt, quæ
„ pro alia ſententia, hæc ad literam eſſe intelligenda militant; & primo Apoſtolus tantam
„ fuiſſe θηριομαχίαν ſignificat, quam ſuſtinere

„ non

„ non potuiſſet, niſi animum addidiſſet vitæ in
„ reſurrectione accipiendæ ſpes & fiducia, itaque
„ gravior fuit, quam dimicatio cum violentis
„ hominibus, qualis ei cottidie fere erat ſubeun-
„ da, quamque graviſſimam ſubierat Hieroſo-
„ lymis, ubi à Judæis pæne diſcerptus fuiſſet.
„ Actor. 23. 10. Deinde omnino cum beſtiis
„ aliquando pugnaſſe videtur, ut patet ex ejus
„ verbis 1. Cor. 4. 9. cum ait, *arbitror enim,*
„ *quod Deus nos ultimos Apoſtolos ſpectandos exhi-*
„ *buerit, tanquam morti addictos, quia theatrum*
„ *facti ſumus mundo, angelis, & hominibus,*
„ quod Apoſtolus Epheſi factum docet. De-
„ nique in ſilentio Lucæ nihil præſidii invenit
„ contraria ſententia, cum Lucas omnia pericu-
„ la non enumeraverit & Paulus ipſe plura me-
„ moret, 2. Cor. 11. 25. & in Actis 19. 10.
„ Biennium exegiſſe Epheſi dicitur, ecquis autem
„ credat, tanto temporis ſpatio non plura geſta
„ fuiſſe, commentariis digniſſima? Imò ipſa illa
„ cum peſſimis hominibus contentio non ab illo
„ recenſetur, quæ contigit cum Demetrio, quia
„ ſerius contigit, poſt epiſtolam ſcriptam, anno
„ LVII. ut oſtendit *Pearſonius* in Annalibus Paulinis
„ & *Millius*. Ita re vera cum beſtiis pugnavit Pau-
„ lus, atque ex eo mortis periculo divino bene-
„ ficio liberatus fuit, ἐκ τȣ̃ θανάτȣ τύτȣ, *ex hoc*
„ *mortis genere*. 2. Cor. 1. 8. 9. ſic ut beſtia im-
„ miſſa aut occiſa ab Apoſtolo, aut impedita fue-
„ rit divinitus, quominus in Paulum impetum
„ faceret, ut Leones Dan. 6. 23. &c. “ In hanc
ſententiam abeunt plures, nec ejus auctor haben-
dus eſt *Elſnerus*, cum jam beatus *Lutherus* aſſum-
ſerit, Paulum cum beſtiis decertare coactum fuiſſe,

quam

quam eandem ſententiam etiam ſuam fecit *Ligthfootus* Hor. Hebr. in 1. ad Cor. cap. 15. 32. Oper. Tom. II. pag. m. 923. In hoc verò differt Vir doctus, quod putet, hoc certamen eveniſſe non eo tempore, quo tumultus Epheſinus à Demetrio fuit concitatus, quam difficultatem jam mittimus.

§. IV.

Hanc viri doctiſſimi ſententiam equidem ea parte aſſumimus, qua ſtatuit verba Apoſtoli ad Literam & non metaphoricè eſſe accipienda: quod autem Paulus horrendam illam pugnam publicè ſuſtinuerit, nobis neutiquam videtur verosimile, cujus rei rationes obveniunt non levis ponderis: Illa quidem, quod talis θηριομαχία nuſquam nec a Luca, nec ab ipſo Paulo recenſeatur, non exigui ponderis eſſe videtur: illa autem quod ipſe Vir divinus dicat, ſe κατὰ ἄνθρωπον tantùm pugnaſſe, & decretum mortis, quod autem à cœleſti manu irritum factum eſt, habuiſſe diſertè refe-rat, nos movet, quominus Viro doctiſſimo accedamus. Dicendum ideò, Pauli inimicos rem equidem eò deduxiſſe, ut inimici decreverint eum cum beſtiis ad pugnam ablegare, ſed propoſiti executionem reſciſſam fuiſſe. Majus adhuc, quominus *Elſneri* accedamus ſententiæ, pondus affert Pauli liberatio, qui enim feris ad certamen relinquebantur, vivi ex amphitheatro non dimittebantur, ſed ad mortem damnati, per tantum temporis ſpatium depugnabant, uſque dum certa morte occumberent. Probe enim notandum, quod tria apud veteres fuerint beſtiariorum genera, ut res in vulgus nota; Primum ex illis conſtabat

ſtabat hominibus, qui vitam & ſanguinem ſuum venalem habebant, & pro certa argenti ſumma in arenam deſcendebant, atque his omnino una vel altera beſtia confecta, miſſio dabatur. Secundum illorum erat, qui ob crimina ad pugnam cum beſtiis damnati erant, ut cum iis armati decertarent, & his rarò admodum dabatur venia, quia ad mortem erant deſtinati. Tertium hominibus nequiſſimis erat deſtinatum, & hi inermes potiſſimum feris dilacerandi objiciebantur. Ex his facile conficitur quod de ſecundo θηριομαχίας genere ſermo ſit, atque ad hoc Chriſtianos frequentiſſimè condemnatos fuiſſe, nobis Eccleſiæ annales referunt, & probatione non indiget.

§. V.

Tertiam ideò noſtram facimus ſententiam, qua ponitur Paulum equidem impio inimicorum propoſito feris ad pugnam proponendum fuiſſe, ſed virum divinum propitiâ Dei manu, quæ Apoſtolum in emolumentum Eccleſiæ ulterius ſuperſtitem voluit, fuiſſe liberatum, & huic ſententiæ accedit *Hammondus* in Notis N. T. ad hunc locum.

„ Exemplum damnationis ad certamen cum be-
„ ſtiis habemus in hac eadem Aſia, & quidem
„ primis illis Religionis Chriſtianæ temporibus,
„ ex epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, de martyrio
„ Polycarpi, ubi narratur plebem flagitaſſe ab
„ Aſiarcha ut emitteret Leonem in Polycarpum.
„ Jam autem Paulum damnatum fuiſſe ad id ſup-
„ plicium, aut ſaltem plebem eum depoposciſſe
„ ad eas pœnas, liquere poteſt. 1. Ex diſertis
„ ejus vetbis, 2. Cor. 1. 9. *Ipſi apud nos decre-*

tum

„ *tum mortis habuimus*, à qua tamen Deus eum
„ liberavit, ut ſubjicit. 2. Ex phraſi κατ' ἄνθρωπον
„ *ſecundum hominem*, hoc eſt, ὅσον τὸ εἰς ἀνθρώ-
„ πους, *quantum ad homines pertinebat*, ait *Theophy-*
„ *lactus*; quod reſpondet locutioni ἐν ἑαυτοῖς apud
„ nos ipſos, quæ in 2. ad Corinthios occurrit.
„ Homines rem decreverant, ſed Deus eum eri-
„ puit periculo, quod exprimit Paulus reſurrec-
„ tione mortuorum, & liberatione ex illa morte
„ v. 10. Eodem ſenſu occurrit κριθῆναι κατ' ἀν-
„ θρωπους. 1. Petr. 4. 5. & τὸ κατ' ἐμέ. Rom.
„ 1. 15. *quoad mihi licuit.* 3. Ex hiſtoria quæ nar-
„ ratur Actor. 19. ubi verſu 29. dicuntur Epheſii,
„ cum tota urbs tumultuaretur, conſentientes in
„ theatrum confluxiſſe, in quo cruenta ejusmodi
„ ſpectacula exhiberi ſolebant, atque eo traxiſſe
„ *Cajum* & *Ariſtarchum*, Pauli comites, quo etiam
„ Paulus abductus fuiſſet, ſi in eorum manus in-
„ cidiſſet, aut ſi paſſi eſſent Chriſtiani, illum ad
„ eos prodire, v. 30. Cum verò Aſiarchæ qui-
„ dam Paulum, non ſine ſingulari providentia
„ divina, nonnulla benevolentia proſequerentur,
„ v. 31. miſerunt ad eum qui monerent, ſe ei
„ auctores eſſe, ut domi ſe contineret, cum plebs
„ decreviſſet eum, ſi eo ſe conferret, θηριομαχία
„ exponere. "

§. VI.

Haberet forſan hæc ſententia conſenſum propemodum univerſalem, niſi obſtarent rationes, quæ illam quibusdam viris doctis minus probabilem reddunt. Potiſſima eſt, quam etiam vehementer urget *Deylingius*, Obſervat. Sacr. Tom. I.

Exercit.

Exercit. 63. p. 342. quod hæc prima ad Corinthios Epiſtola ſcripta fuerit antequam Demetrius tumultum ſuſcitaverat, atque in hanc ſententiam ſecedit etiam *Joh. Pearſonius* in Annalib. Paulinis pag. 15. qui putat, Epiſtolam Pauli ad Corinthios fuiſſe exaratam; ante tumultum à Demetrio ſuſcitatum. Secat ideò Pearſonius tempus commorationis Paulinæ in duas partes, unam quidem antequam ſcripſerat Epiſtolam, alteram autem poſt exaratas ad Corinthios literas. Ad difficultates quæ *Hammondi* ſententiæ opponuntur Vir doctiſſ. nihil reſpondet, illas tamen ipſi plane fuiſſe incognitas probabile non eſt; potiùs ideo credendum, ipſum fuiſſe perſuaſum objectiones illas tam levis eſſe momenti, ut illarum reſponſioni facile potuerit ſuperſedere. Quid autem ad hæc reſponderi debeat, quæ à Deylingio & Pearſonio adducuntur, breviter examinandum eſt, ut hæc noſtra ſententia ab illis liberetur objectionibus, quæ illam incertam facere videntur.

§. VII.

Primò quidem Rever. *Deylingii* ſententiam examinandam eſſe exiſtimo, qui loc. cit. hæc habet. „ Ego quidem in eam ducebar opinionem, Pau-
„ lum cum beſtiis quidem non pugnaſſe, nec
„ actu ipſis objectum fuiſſe, attamen pro beſtia-
„ rio, tumultu Epheſi excitato, habitum & à
„ furente populo condemnatum, dignumque vi-
„ ſum fuiſſe, qui feris objiceretur, & huc perti-
„ nere ſuſpicabar hiſtoriam quæ deſcripta eſt Act.
„ 19. 24. ſed paulo poſt re accuratius expenſa,
„ deprehendi hanc explicationem temporum ra-

„ tioni

„ tioni adverſari, nam prior ad Corinthios Epi-
„ ſtola ante factam à Demetrio ſeditionem ſcrip-
„ ta ad eosque perlata fuit, id quod exinde ma-
„ niſeſto apparet, quia Paulus eam conſcripſit non
„ Philippis, uti ſubſcriptio Græca & Syriaca ha-
„ bent, ſed Epheſi, ut habet interpres Arabs.
„ Hoc ipſe Apoſtolus innuit, cum 1. Cor. 16. 8.
„ ait; *permanebo Epheſi, uſque ad Pentecoſten.* Fuit
„ igitur tum Epheſi cum hæc ſcriberet, ubi per-
„ manere adhuc vult, uſque ad Judæorum Pen-
„ tecoſten, quomodo Chryſoſtomus, Theophy-
„ lactus, & Oecumenius rectè obſervarunt, cum
„ ajunt *Apoſtolum certiores facere Corinthios, ubi de-*
„ *gat, & quamdiu ibi commoraturus ſit.*“ Hæc viri doctiſſimi verba magnam equidem veritatis formam ſecum ferunt, interim tantam probationis vim neutiquam habent, quantam habere utique deberent, ad probandum primam Pauli Epiſtolam ad Corinthios ante tumultum Epheſinum ſcriptam fuiſſe: Hoc equidem conçedimus & utraque manu largimur, ſubſcriptiones Epiſtolarum Pauli non eſſe genuinas, quod dudum probatum à *Glaſſio* Philolog. Sacr. Lib. I. Tract. 4. Sect. 4. p. m. 344. ut & *Pritio* ejusque commentatore *Hofmanno* & *Kappio* Introd. in N. T. p. 322. ſed nullum inde peti poteſt argumentum, Paulum primam ad Corinthios Epiſtolam ſuam, dum Philippis commoraretur, non exaraſſe, dabimus ideo illam ſcriptam eſſe Epheſi, quod etiam eſt probabile, quia citius & facilius literæ Epheſo Corinthum, quàm Philippis mitti potuerunt, ſed quid tum? Exinde tamen non ſequitur Epiſtolam hanc ante turbas à Demetrio commotas ſcriptam fuiſſe, imo mihi potius exinde argumentum petendum

eſſe

esse videtur, quod ad finem commorationis suæ, peractis & sedatis Demetrii clamoribus, posteriora demum primæ ad Corinthios Epistolæ capita fuerint literis consignata, cum enim Paulus docendo & Ecclesiam plantando apud Ephesios fuerit occupatissimus, res est admodum probabilis, quod per commoda intervalla hanc epistolam satis longam delineaverit, in quam mentem etiam dudum non sine ratione secedebat vir doctissimus *Joh. Pearsonius*. Res est præterea satis nota, quantopere hactenus viri eruditissimi de tempore scriptarum Pauli Epistolarum inter se differant, quod accurate in tabellis exhibuit *Justus Wesselus Rumpæus* Comment. Crit. ad Libros N. T. pag. 121. & sequentib. Sunt autem ex altera parte etiam rationes, quæ suadent primam ad Corinthios, [ut vult communis subscriptio in Codicibus fere omnibus] Philippis fuisse scriptam, & ratio quæ nobis videtur omnium optima, peti potest ex eo, quod Paulus 1. Cor. 16. 5. ad Corinthios scribit, *ego ad vos veniam ubi Macedoniam peragravero*, si jam eo tempore, quo hæc vir sanctissimus scripsit, Ephesi habitasset, vix videtur per tam longas ambages ad Corinthios abiturum fuisse per Macedoniam, cum brevi & facili transfretatione per mare Ægæum Epheso Corinthum petere potuisset: cum autem Philippi fuerit urbs Macedoniæ, commodum erat Paulo ex hac urbe visitare loca reliqua hujus provinciæ & iis perlustratis per Thessaliam & superiorem Achaiæ partem invisere Ecclesiam Corinthiacam. *Deylingius* putat se sententiæ suæ præsidium invenisse ex eo, quod Apostolus dicit, *se mansurum Ephesi usque ad diem Pentecostes*. Videtur, quod ex his aliquo modo col-

ligi possit, Paulum Epistolam apud Ephesios scripsisse, sed quis inde potest elicere, contigisse illud ante tumultum? Quis nobis explicabit, quantum tempus effluxerit inter diem absolutæ Epistolæ & festum Pentecostes? Hæc brevibus adducta sunt eo fine, ut lectori constet, quam incertum sit, quo in loco & quo tempore Apostolus primam ad Ecclesiam Corinthiacam Epistolam suam scripserit.

§. VIII.

Ergo tota quæstio quæ jam agitatur, ea est, quam modo proposuimus, quo tempore Paulus primam ad Corinthios Epistolam literis consignaverit; locus ubi scripserit, quantum video, non valde discutiendus est. *Pearsonius* illam apud Ephesios ante turbas à Demetrio susceptas scriptam & missam fuisse asserit, sed paucos dies ex quo missa fuerat epistola & inter tumulum Demetrii intercessisse existimat; ita enim ordinem gestorum Apostoli apud Ecclesiam Ephesinam describit ad annum æræ Vulgaris LVII. *Paulus disserit in Schola Tyranni, Paulus subsistit in Asia, unde præmisit Timotheum cum Erasto in Macedoniam; Apollos cum aliis fratribus Corintho venit ad Paulum, per quos Corinthii miserunt Epistolam; Scribit primam ad Corinthios Epistolam cum Sostene, respondens Epistolæ Corinthiorum; Scribit Epistolam ad Galatas, per Demetrium Epheso pellitur, Asiam relinquens postquam per triennium ferme totum ibi laborasset.* Dabimus ergo *Pearsonio* & *Deylingio*, Ephesi consignatam esse primam ad Corinthios epistolam; sed statim post finitas tur-

turbas, quæ ultra ſex dies non durarunt, ut ex Lucæ deſcriptione colligimus, nihil enim certi objici poteſt, quod hanc noſtram aſſertionem turbet. Ponamus autem, verba Pauli, 1. Cor. 15. 32. *adverſus beſtias pugnavi Epheſi*, de malis tantum & Paulo infenſis hominibus intelligenda eſſe, quis dixerit alios per totum tempus, quo Paulus apud Epheſios commoratus fuit, homines beſtiarum more furentes inveniri, niſi Demetrium & aſſeclas ejus; Hinc ſemper eo redeundum erit, Paulum aut veram θηριομαχίαν; aut Demetrium beſtiarum more in Paulum ferociter inſurgentem, intelligi voluiſſe. Bis apud Epheſios Evangelium prædicavit Paulus, ut aperte colligimus ex Actis, prima vice cum ad hanc urbem accederet Act. 18. 19. altera vice Act. 19. 1. ſed nuſquam legimus, quod aliquam contradictionem aut perſecutionem paſſus fuerit, quam in fine commorationis, quæ Demetrio auctore ſuſcitabatur: hæc cum certa ſint, ſemper eo recurrendum erit, Paulum hoc loco, quem illuſtrandum ſelegimus, aut de θηριομαχία reali aut allegorica loqui, quæ una eadem eſt pugna & idem vitæ periculum. In eo conveniunt interpretes omnes, quod Paulus alludat ad ea quæ ipſi apud Epheſios contigerunt, nihil ergo refert, an de reali vel allegorica θηριομαχία fuerit locutus, quia eædem ſemper difficultates, cum tempus idem apud utramque, & ideò difficultatem nullam evitant, qui allegorice locutum fuiſſe Apoſtolum exiſtimant, probandum ergo illis nobiſcum, totam primam ad Corinthios Epiſtolam ſcriptam eſſe poſt turbas Epheſinas; præferimus ob hanc etiam rationem ſenſum literalem allegorico: ex

his jam iterum concludimus ſenſum verborum Apoſtoli hunc eſſe, Demetrium cum aſſeclis id omni conatu & fervore, & quantum in ipſis ſitum erat egiſſe, ut vir ſanctiſſimus in amphitheatro ad mortem uſque cum beſtiis pugnaret, ſed Deum mala illorum conſilia irrita feciſſe.

§. IX.

Ne autem quis nos oblivionis aut negligentiæ accuſet, brevibus adhuc ſignificatio vocis κατὰ ἄνθρωπον, indaganda & exponenda erit, idque eo magis faciendum nobis incumbit, cum diverſiſſimæ ſignificationes à quibusdam interpretibus, quæ à vero & rationali ſenſu longe recedunt, his vocibus tribuantur. Noſtrum non eſt verba longa & ad nihil conducentia deſcribere: omnes autem variantes opiniones collegit *Joh. Kindlerus* Diſſert. de Pauli ἀγῶσι. Tom. II. Theſ. Philolog. *Menthenii* p. 577. & poſt eum *Severin. Lintrupius* Tom. II. Theſaur. Philolog. *Ikenii* p. 856. ad quos avidum lectorem remittimus. Ex omnibus autem diverſis explicationibus nulla eſt, quæ mentem Pauli clarius tradat, & ſimplici vocum interpretationi, ut apud Scriptores S. & profanos ſæpius occurrit, melius reſpondeat, niſi ea quam dedit *Hammondus*. Paulus eadem hac ſcribendi ratione utitur Rom. 1. 15. τὸ κατ' ἐμὲ, *quantum ad me*, vel *quantum in me ſitum eſt, ego ſum promptus ad Evangelium prædicandum*. Eodem ſenſu occurrit Epheſ. 6. 21. ἵνα δὲ εἰδῆτε καὶ ὑμεῖς τὰ κατ' ἐμὲ, τί πράσσω, *ut autem ſciatis & vos ea, quæ me ſpectant, quid faciam &c.* Eandem autem has duas voculas hac ratione conjunctas ſignificationem

nem etiam apud Scriptores profanos habere probavit *Raphelius* Obſervat. Sacr. ex *Herodoto* p. 411. ita enim hic Scriptor Lib. VII. p. 496. τὸ κατ' ὑμέας, τάδε πάντα ὑπὸ βαρβάροισι νέμεται. *Itaque quantum in vobis eſt, omnia hæc Barbaris poſſideantur.* Et iterum Lib. V. p. 376. ὅπως τὸ κατ' ἡμέας ἔσται ἡ Ἰωνίη ἐλευθέρη, *ut quantum in nobis ſitum eſt, Jonia libera ſit.* Hæc adduxiſſe apud ſanum lectorem ſufficit, nec majori probatione opus habet noſtra interpretatio.

§. X.

Noſtrum jam non eſt ad quæſtionem reſpondere, an Paulus quâ civis Romanus potuiſſet ad θηριομαχίαν condemnari? Ad hanc reſpondent illi qui ſtatuunt, quod revera cum beſtiis depugnaverit, cum autem noſtra ſit ſententia & aſſertio, Paulum non realiter cum feris pugnaſſe, ſed Demetrium ejusque amicos aliosque cultus Dianæ aſſeclas id egiſſe, ut Paulus ad pugnam cum beſtiis condemnaretur, ſed irrito molimine, noſtrum non eſt hanc objectionem ſolvere: Aſſerimus tamen exempla proſtare plurima, quæ docent tempore Cæſarum *Legem Porciam*, qua prohibitum erat, ne civis Romanus ad virgas vel mortem raperetur, ſæpius violatam fuiſſe, ut ipſius Pauli exemplo apud Lyſtrenſes aliisque conſtat, hinc non unus tantum, ſed plures Chriſtiani, qui Jure Civitatis gaudebant, ad certamen cum beſtiis damnati fuerunt, & inde juſta lamentatio *Euſebii Hiſt.* Eccl. Lib. VII. cap 11. quod Chriſtiani contra omnia humanitatis & Civitatis Romanæ Jura ad crudeliſſimas mortis pænas rapiantur.

§. XI.

Spectavimus hactenus quisnam sit sensus verborum Pauli cum ait, *quod quantum in hominibus situm erat, depugnaverit Ephesi cum bestiis*, ulterius jam procedimus, ad indagandum sensum verborum Apostoli, cum ait, 2. Cor. 1. 9. *Sed ipsi apud nos decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobis ipsis; sed in Deo resuscitante mortuos.* Dubium nullum est, quin Paulus in his ad easdem illas adversitates modo descriptas, quæ ipsi apud Ephesios contigerant, respexerit, nec illæ ærumnæ latebant Corinthios, quia propter proximitatem loci, tum etiam ex communione Ecclesiæ Ephesinæ cum Corinthiaca, omnia innotescebant, quæ viro sanctissimo passim eveniebant; revocat ideò eis in mentem quæ jam in fine præcedentis Epistolæ ad eos perscripserat. Paulus fatetur, tam afflictam & ærumnosam fuisse conditionem suam apud Ephesios, ut de vita plane desperaverit, cum ait se apud se ipsum habuisse ἀπόκριμα τῦ θανάτυ, *sententiam mortis*, & ita recte interpretes, nec aliter *Hesychius*, in suo Lexico, ubi ἀπόκριμα reddit per κατάκριμα & ψῆφον *condemnationem, sententiam.* Sed plura ad hanc vocem *J. Casp. Suicerus* in Thesaur. Tom. I. pag. 455. Si jam mentem Pauli loquentis inspiciamus & paulò accuratius examinemus, videbimus, eum his verbis, *apud nos decretum mortis habuimus*, significare voluisse Corinthiis, atram tam ubique eum circumdedisse ærumnarum & hostium nubem ut pro temporis & loci circumstantia, sibi nihil quam certam & præsentissimam mortem potuerit promittere, & quod nulla plane spes ulla vitæ amplius

affulg-

affulſerit, ſed hoc Deo ita providente factum, ne fiduciam ullam vel ſpem in propriis viribus vel amicorum præſidio vel ulla alia ope humana quæreret. Senſus autem non eſt, quod ſententia mortis à Judice contra ipſum jam fuerit lata; ſed quod, hoſtibus ubique imminentibus & ingruentibus, tam triſtis fuerit & acerba rerum facies, ut omnis ſpes vitæ decollaverit: Egregia ſunt quæ ad hunc locum commentatur *Aretius* Commentar. in N. T. pag. 182. Tom. II. *Narratur in hoc verſu magnitudo afflictionis; Magnitudo tribus conſtat membris, Primum, gravatus fui ſupra vires, metaphora eſt in voce* ἐβαρήθημεν. *dicuntur enim gravari, quibus onus majus imponitur, ut ſi puero viri adulti onus imponas; eſt ideo ſenſus, impar fuit afflictio viribus meis: ſecundo ad magnitudinem facit, quod Paulus dubitavit de vita, magis igitur de adventu ſuo ad Corinthios, modeſte autem loquitur de vitæ deſperatione, cum illam vocat dubitationem; ſed hæc & illa ex carnis imbecillitate naſcebatur, quo admonemur, etiam ſanctiſſimos in hac vita interdum dubitatione, diffidentia & aliis infirmitatibus laborare. Tertiò, ſententiam, inquit, mortis habebamus; gradatione evehit orationem. Primò, vires ſuperavit; Secundò de vita dubitavit; Tertiò mortem ipſam ſibi propoſu..., modo imminentem.* Proponebat ſibi animo vir ſanctiſſimus, omnia pericula, quæ Epheſi in illo tumultu Demetrii ſubierat, quæ tanta erant, ingruentibus ab omni parte inimicis, ut nullam amplius elabendi ſpem conciperet, nec ubi ſalutem inveniret, perſpicere poſſet. Opibus valebat cum aſſeclis Demetrius, qui haud dubie, ut è medio tolleret lucri & ſuperſtitionis everſorem, judices argento corrumpere ſtudebat, dum alii ſuperſtitione moti omnibus

bus viribus id agebant, ut Paulus beſtiis objiceretur. Ita ſæpe viri ſanctiſſimi tanta imbecillitate & fluctuatione premuntur, ut qui antea ſæpius omnia pericula & mortem ſpreverant, animo alia occaſione deſpondeant, vel imbecillitatem agnoſcant ſuam, & ad ſolum Dei præſidium recurrant.

§. XII.

Examinandus & illuſtrandus adhuc nobis remanet locus 2. Tim. 4. 17. *Dominus mihi autem adſtitit, & corroboravit me, ut per me doctrina Chriſti confirmaretur, omnesque audirent gentes, & liberatus ſum ex ore Leonis.* Antequam autem ad rem ipſam accedamus, monendum ſecundam Epiſtolam ad Timotheum omnium Epiſtolarum Pauli eſſe ultimam, quod etiam facile colligimus ex iis quæ habentur 2. Tim. 4. 6. ubi Apoſtolus de inſtante è vita exceſſu diſerte loquitur, & hæc haud dubie etiam eſt ratio, quare *Uſſerius*, *Lud. Capellus*, *Pearſonius*, *Millius*, aliique eam omnibus reliquis poſtponant, ut id videre eſt in ordine librorum N. T. Commentar. Crit. ad libros Novi Fœderis à *Rumpæo* adornato. p. 122. Per Leonem Patres communiter ut & poſterioris ætatis interpretes propemodum omnes Neronem, aut Helium Cæſareanum intelligunt, cui omnem rerum ſummam, dum Româ abeſſet & in Græciam demigravit, ita tradiderat Cæſar, ut homines puniendi, necandi, bonaque proſcribendi poteſtatem ei imprudens committeret. Sed pace omnium illorum, qui ad hanc declinarunt ſententiam, hoc loco nec Nero nec Helias Cæſareanus poteſt intelligi, cum Paulus liber non eſſet, ſed in vinculis

culis detentus ut ipſe fatetur 2. Tim. 1. 8. & proxime ut libamen effundendus; nec concipio quomodo doctiſſ. *Joh. Pearſonius* Annal. Paulin. p. 24. putet Helium Cæſareanum hoc loco indigitari. Verum quidem, ut jam ſupra monitum, malis & ſanguinem ſitientibus hominibus ſæpius beſtiarum, leonum præſertim, nomina fuiſſe impoſita, quæ loquendi ratio omnibus linguis familiaris eſt; ſed hoc tamen non impedit quo minus dicamus, quod etiam hoc loco æque ac 1. Cor. 15. 32. verba Apoſtoli poſſint ad literam intelligi; ego quidem, ſi ſenſus metaphoricus admittendus fuiſſet, potius per *Leonem* Alexandrum, infenſiſſimum Pauli inimicum ſubintelligendum eſſe cenſerem: ſed neutrum placet, & ſi non omnia fallunt, non Leo metaphoricus, ſed naturalis intelligendus eſt, cui haud dubie in pugna publice dilacerandus proponi debuerat. Quæ hoc loco Paulus recenſet haud dubie Romæ geſta ſunt, & pro loci & temporis illius circumſtantia intelligenda, hinc ergo lubens in hujus loci explicatione *Moshemio* aſſentio, qui in Cogitationib. ad Novi Fœderis locos Selectiores Lib. I. p. 209. hæc habet. *Longius igitur progrediendum eſſe arbitror, hasque Pauli voces non figurate, quod volunt interpretes, ſed proprie vereque accipi debere conjicio, ita ut Paulus ſignificaverit, quod ex grandi periculo emerſerit, atque ſimul periculi naturam ſignificaverit. Rem omnem quemadmodum eam contingere potuiſſe ſuſpicor, exponam. Paulus, quod Chriſtiana dogmata per urbem propagaverat correptus & in carcerem dejectus erat; Quumque de ſententia nollet decedere, ſtatim à Judice inter eos referebatur qui proximo quod populo Romano exhibendum munere beſtiis objiciendi eſſent. Dum tempus*

pus expectatur ſpectaculi, amici, quos in aula Cæſaris Paulum habuiſſe conſtat, Phil. 4. 22. cauſam ejus agunt apud proceres, hominemque non ſtatim condemnandum inculcant. Mos illis geritur & homo ſanctiſſimus pro ſe verba facere jubetur, quo ille negotio divina virtute adjutus, tam belle, dextreque fungitur, ut judices nihil eum commiſiſſe tam immani ſupplicio dignum pronuntient; eumque ſic ex ore Leonis eripiant, nihilominus tamen in carcere detinebatur, dum Imperator ipſe de hac re eruditur, & quid fieri velit, denuntiet. Hæc à Viro Celeberrimo ſua ſe ſimplicitate & veriſimilitudine ita commendant, ut omnibus reliquis de hoc datis explicationibus merito anteferenda videantur.

§. XIII.

Si jam hæc quæ de Paulo Apoſtolo breviter dicta ſunt, ſedata mente penſitemus, nobis verum exemplar digni doctoris Evangelici & Apoſtoli Jeſu Chriſti ob oculos poni cernimus: Perpetuis Vir ſanctiſſimus expoſitus erat ſingulis diebus, imo ſingulis horis maximisque vitæ periculis, nihilominus tamen non relinquebat officium demandatum, non vitabat loca, quæ noverat periculis proxima, & nomen Chriſti perpetua alacritate ubique prædicabat, imò tantum eſt hoc pietatis, fervoris, alacritatis & perpetui laboris exemplar, ut plurimi qui ſervi Chriſti audiunt vix credere poſſint, Virum talem, qualis Paulus fuit, exiſtere potuiſſe. Sit ergo hic gentium doctor perpetuum exemplar omnibus, qui miniſtri Dei, ſervi Jeſu Chriſti ejusque gregis cuſto-

cuſtodes ſunt conſtituti, & quoties ærumnæ vel adverſitates illis modicæ obveniunt, Pauli exemplo, onus ferre & ſapere diſcant, atque veſtigia ejus patienti animo ſequi & premere ne erubeſcant. Quam longè autem ab hoc fervoris, fidei & patientiæ exemplari illi ſunt remoti, qui ab omni periculo remoti gregem Domini ſomnolenti paſcunt, qui magis id curant, ut tranquilli vivant, & rem familiarem egregie augeant, quam ut oves aberrantes reducant, morbidas ſanent, inertes inſtruant, tenellos foveant, & morientes refocillent. Obverſetur ideò omnibus gregis Domini paſtoribus Pauli Doctoris exemplum, in pietate, in laboris tolerantia, in ſpe & fide, ut teſtimonio bonæ conſcientiæ alacri facie poſſint expectare adventum φανερωθέντος ἀρχιποιμενος Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Videmus etiam, quanta ſit vis veritatis in cordibus fidelium per Spiritum Sanctum confirmatis, hæc timorem & metum omnem pellit, & carnis prætextus ex mente proſcribit, ut Dominum etiam in omnibus periculis & in morte ipſa alacriter & conſtanter ament & profiteantur, & hinc obſignati exclamant cum Paulo, *quis nos ſeparabit à dilectione Chriſti, num afflictio, num anguſtia? &c. Rom.* 8. 35. Revolvant apud ſe conſolationem Apoſtoli, cum ait, *levis & illicò præteriens eſt afflictio noſtra, & operatur in nobis excellens pondus gloriæ.* 2. Cor. 4. 17.

Stet ergo firmum unicuique noſtrum propoſitum, Chriſtum amare & ſequi omni tempore & vitæ ſtatu, ſubeamus prompto & patienti animo

mo tribulationes, quas divina manus nobis imponet, ſequamur Dominum per anguſtiam, ut ad eum contendamus ad gloriam. Reſpiciamus ſemper futuram coronam fidelibus propoſitam, ſic erimus beati in vita & morte, & certi gloriæ hæredes in cœlo.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

TURICUM. In publicam lucem heic prodierunt Exercitationes Scholasticæ sequentes:

1. Dissertatio philosophica de multiplici Philosophiæ, inprimis Logices & Metaphysices Usu: quam sub Præsidio Cl. V. DAVID LAVATERI, *Phil. Prof. Ord.* pro consequendo Examine Philos. tuebantur IX. Candidati. Tiguri. 1752. 4. plag. $2\frac{1}{2}$. Post præmissam Philosophiæ laudem, & Logices ac Metaphysices definitionem, harumque Disciplinarum usum generatim spectatum, V. Cl. insignem earum in Theologia dogmatica, polemica, morali usum a §. IV. usque ad §. X. declarat: Easque commendat §. V. ab usu, quem præstant in Notis veræ Revelationis diacriticis subministrandis: Item §. XI. tanquam Subsidium in Analysi librorum S. Scripturæ & Arte concionandi multo cum fructu adhibendum. Denique post leviter indicatum Philosophiæ usum in Jurisprudentia & Medicina §. XII. in reliqua parte Dissertationis versatur in discutienda ejus Philosophiæ ratione, a cujus studio S. Paulus Apostolus Christianos avocare annititur, ac veræ Philosophiæ studium S. Pauli exemplo multum commendari ostendit.

2. Meditationis de pia & circumspecta in tradendis sanctioribus Disciplinis sectanda SIMPLICITATE. Pars V. quam Præside V. Cl. J. JAC. ZIMMERMANNO, *S. Theol. Prof.* postridie Synodi Autumnalis propugnarunt Respondens *Casp. Hessius*, *V. D. M.* & Assumens *Henr. Reutlingerus*, *S. Theol. Candid.* Tiguri 1752. 4. plag. 5. Agit

V. Cl.

V. Cl. in hac Dissertatione de Simplicitate in tradenda Theologia thetica seu Dogmatica observanda: Ubi §. II. laudabilem & necessarium eorum esse laborem, qui Systemata adornarunt, ea tamen sua habere commoda & incommoda, docet. Indicatis deinde quibusdam Systematum Incommodis, eam Quæstionem §. III. movet; An non salutaria Religionis capita missis ita dictis Systematibus Theologicis ex solis S. Litteris sint hauriendа? quam deinceps §. IV. ita expendit, ut Systematum Theologicorum, si modo ad veram Simplicitatem revocentur, utilitatem ac necessitatem non spernendam stabiliat. Mox deinde §. V. VI. & VII. quæ in Systematibus Theologiæ Naturalis, atque etiam Revelatæ ad Simplicitatem hanc promovendam spectantia observanda sint certis Articulis comprehensa exponit. §. VIII. Præcipit, inutiles Quæstiones & futiles Distinctiones longo annorum usu confirmatas esse evitandas & e Systematibus theologicis eliminandas. Tandem §. IX. agitur de Simplicitate in controversiis rite tractandis diligenter custodienda.

3. Dissertationis Theolog. de Christo Jesu ΙΛΑΣΤΗΡΙΩ, Propitiatorio, In Epist. S. Pauli ad Rom. Cap. III. 25. Pars III. quam sub Præsidio Cl. V. J. JAC. LAVATERI, *St. Theol. Prof.* pro consequendo Examine Theologico defendebant VIII. S. M. Candidati. Tiguri. 1752. 4. pl. 4. Summa capita hujus Dissertationis sunt. 1. Contenta duarum antecedentium in hunc Locum Dissertationum. 2. Argumentum hujus Dissertationis versatur in elucidandis verbis Apostoli interjectis, *διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων*

των ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ; quorum verborum tractationem ita instituendam censuit V. Cl. ut 1°. Interpretationem quorundam Theologorum & Interpretum Sacræ Scripturæ, qui hæc Apostoli verba intelligunt de Remissione peccatorum, quæ obtigit Fidelibus V. T. in oppositione ad illam, quæ nunc tempore N. T. in illustriore modo ac gradu Fidelibus in Evangelio annuntiata est, proponat. 2°. Rationem hujus Interpretationis breviter examinet, & simul de re ipsa, quæ ex illorum Interpretum hypothesi in his Apostoli verbis esset contenta, quasdam adnotationes adjungat. 3°. Aliam verborum Apostoli expositionem subjiciat, quæ simplicissima & hæc est, ut per τὰ προγεγονότα ἁμαρτήματα intelligantur, peccata, quæ ab illis hominibus, qui tunc per Evangelium ad fidem in Christum vocati conversique erant, ante hanc ipsorum Vocationem & Conversionem commissa fuerunt; quæ veteres Theologi designarunt per peccata ante Baptismum commissa: Tempus ergo τῆς ἀνοχῆς τοῦ Θεοῦ, erat tempus, quod Vocationem & Conversionem Fidelium ex Judæis & Gentibus, ad quos Paulus scribit, antecessit. Ideoque πάρεσις est Remissio peccatorum præteritorum h. e. illorum, quæ ab hominibus commissa sunt, cum nondum erant ad Fidem in Christum vocati & conversi. §. XIV. Ostenditur vis & ratio nexus horum verborum Apostoli cum antecedentibus per Particulam Διὰ, *propter*, vel *per*, *in*. Denique §. XV. occurritur objectioni, quod etiam peccata, quæ post Conversionem ac Baptismum commissa sunt, pœnitentibus, inque Christum credentibus vi Promiss. sionis Evangelicæ gratiose a Deo remittantur.

Apud

Apud Denzlerum prostat Tomus VI. Operis vastissimi ac desideratissimi, quod laudabili Res Helvetiorum amplificandi studio suscepit Amplissimus Polyhistor J. JACOBUS LEU, *Senator, ac Quæstor Reip. Turic.* Titulus ita habet: Allgemeines Helvetisches, Eydgenößisches, oder Schweizerisches LEXICON, in welchem das, was zur wahren Erkänntniß des eh- und dismaligen Zustandes und der Geschichten dieser Nation und Landen: So dann derer darinnen befindlichen Orten, Geschlechtern und Personen, die sich besonders hervorgethan, erfoderlich seyn mag: Aus allen hievon handelnden gedrukten und geschriebenen Büchern, und vielen sonst erhaltenen schriftlichen Nachrichten und Urkunden, in Alphabetischer Ordnung vorgestellet wird von Hans Jacob Leu. VI. Theil. D. bis F. Zürich. 1752. 4.

Ex Officina Byrklini prodiit: Singendes und Spielendes Vergnügen reiner Andacht: oder geistreiche Gesänge nach der Wahl des Besten gesammelt, zur Erwekung des innern Christenthums eingerichtet und mit Musicalischen Compositionen begleitet von Johannes Schmiedlin, V. D. M. und h. t. Pfarr-Vicario in Dietlikon. Zürich. 1752. 8.

Ejusd. Litteris exscriptus est Libellus asceticus vulgaris sub hac Epigraphe: Christliche Selbs-Bewährung und geistreiches Nachtmahl-Büchlein, aus Herrn Drelincourts französischem theils übersezt theils mit etlichen Gebätteru vermehret: Samt der Historie von Christi Menschwer-

werdung, Beschneidung, Leiden, Sterben, Begräbniß, Himmelfahrt, und die Sendung des H. Heistes. Mit Kupfern. Zürich. 1752.

Gesneri Officina nobis dedit: Gläubiger Kranker Seelen-Trost, oder Christliche Aufmunterungen, Erinnerungen, Herz-Stärkungen und Seelen-Gespräche des mit Leibs-Beschwärden beladenen Gläubigen, mit seinem Seelen-Arzt Jesu Christo: Sammt beygefügten schönen Gesängen und Gebätten: von Caspar Diebold, Pfarrer zu Bülach. Zürich. 1752. 12.

Idem quoque Gesnerus curavit: Der XXVste Psalm Davids, in 22. Predigten zergliedert, erklärt und zugeeignet von Joh. Hermann Gronau, Prediger der Ref. Parochial-Kirche und des Preuß. Armen-Directorii in Berlin Commissarius. Zürich. 1752. 8. plag. 30. Editionis curam suscepit Autoris Achates V. V. J. *Casp. HULDRICUS, Templi Abbatiss. Pastor.*

Heideggeri Officina nobis dedit: Auszug der Historie aller Zeiten und Völker, des Herrn Rollin. Aus dem Französischen des Herrn Abts Tailhie übersezt. Dritter Theil. Zürich. 1752. 8. Progreditur hæc epitome historica a Libr. XV. usque ad Libr. XXI.

Ead. Officina Heideggeriana nobis dedit novam Telluris Theoriam sub titulo: *Memoires sur la structure interieure de la Terre:* par M. ELIE BERTRAND. M. D. S. E. & Membre de l'Academie Roiale des Sciences de Prusse. à Zuric.

1752. in 8. In hoc Libello I. proponuntur Phænomena interioris Terræ ſtructuræ. II. Hypotheſes ex quibus interior Terræ ſtructura hactenus fuit explicata. III. Hypotheſes illas inter ſe eſſe combinandas docetur. In fine ſubjungitur Epiſtola Autoris Clariſs. ad *Formejum*, Acad. Secret. de Diminutione Maris & Origine Montium.

BERNA: Hic quanta mala ſuadeat Fanaticismus novo exemplo conſtat: Cujus occaſione hæc edita ſunt ſcripta.

1. Das entdekte Geheimniß der Bosheit in der Brüggler-Secte. Erſter Theil. Allwo gehandelt wird, von ihrem Urſprung, von den aufgeworffenen zween Zeugen und derſelben Weiſſagungen und Wundern: Von ihren ſchädlichen Lehren und ſchädlichen Thaten; Landes-Verweiſung und wieder neu angeſtelten Unfugen: Item, von den groben Ausbrüchen dieſer Secte in Ehebruch und Mordthaten und eine Schriftmäßige und gründliche Wiederlegung aller ihrer Meynungen, Irrthümer und Lehren. Zürich. 1753. 8. cum figura. pl. 6.

2. Lebens-Abſpruch oder lezte Rede an den unglükſeligen Hieronymus Kohler / welcher nach Hoch Oberkeitlich gefälltem Todes-Urtheil wegen ſeinen mannigfaltigen Verbrechen den 16. Jenner 1753. zu gerechter Straffe ſoll gezogen werden. Bern bey Gottſchall. 1753. 4. plag. 1. Autor graviſſimæ hujus Correptionis, quæ etiam in Gallicum Sermonem translata eſt, eſt Vir Cl. J. G. ALTMANNUS.

3. Hoch Oberkeitliche Verwahrnung wegen Sectierischer Lehr und Versammlungen: Aus Anlaß des jüngstbin exequierten Hier. Kohler von Brügglen publiciret. Bern. 1753. 4.

4. Johann Georg Altmanns / D. G. W. und öffentlichen Lehrers der Griechischen Sprache und der Sitten Lehre: Predigt von den Früchten der Gottseligkeit in diesem und zukünftigen Leben: Ueber 1. Timoth. IV. 8. gehalten in der Grossen Münster-Kirchen zu Bern den 14. Jenner 1753. Aus Anlaß, da des Tags hernach die Hohe Obrigkeit das Todes-Urtheil über den unglükseligen Hieronymus Kohler beschlossen. 4.

Superiore anno obitu Viri Clariss. J. ROD. BRUNNERI *Cathedra Philosophica* in Illustri Bernatum Gymnasio vacua facta est: Pro qua rite consequenda certatim publica Eruditionis Specimina ediderunt, seriem omnium ac materias sorte determinante, Viri Reverendi atque Doctiss.

I. DAVID KOCHER. *V. D. M.*

A. Prælectione quæ ad *Physices Historiam recentiorem* pertinent præcipua recensens *Inventa* præstantiora &c. Et quid Mathesis ad ea contulerit.

B. Quæstiones explicandæ & defendendæ.

1. An sine Logices studio præmisso nulla debeat gustari Scientia & Disciplina?
2. Num una syllogismorum figura sufficiat?
3. Methodus scientifica pariatne majorem certitudinem evidentiamque, an verò potiùs sit fallax?

4. Facultas res ſeu ideas retinendi an rectè ad imaginationem referatur?
5. Rectene an ſecus LOCKIUS ideas negaverit innatas, vel poſſintne admitti?
6. Poſſitne ex Vi animæ unica repræſentativa Appetitus & Voluntas deduci?
7. In animalium noxiorum ſtructura artificioſa num ſolide Auctoris Univerſi ſapientia & bonitas quærantur?
8. Mundus optimus an non ſit figmentum vel effugium?
9. Diviſio materiæ in eam primi, ſecundi ac tertii elementi an ſit ſolida?
10. Sitne poſitis iisdem flamma tempore frigido ardentior quàm calido, & quænam ſit ratio?
11. An globi ex Tormento bellico vi pulveris pyrii ejecti calor oriatur ab attritu aëris, quem percurrit; uti ſtatuit Cel. BOERHAAVE *Elem. Chem.* p. 100.?
12. Quomodo fiat, ut, quando æs igne liquefactum aquæ infunditur, cum fragore aqua, æs, vas dijiciantur?
13. Mundus ſitne infinitæ extenſionis?
14. Luna num Atmoſphæra ſit ſtipata?
15. Lunaticorum in Nov. Teſt. memoratorum morbus num à Lunæ provenerit influxu, & num ab eo ſolo vel an ab aliis adhuc cauſis?
16. Quænam ſit Salſedinis Maris ratio?
17. Num Philoſophia ſcholaſtica adhuc alicujus ſit Uſus, & cujusnam?
18. An *Aretinus* & *Pomponatius* inter Atheos ſint referendi?

II. DANIEL SPRYNGLI, *Diac.*
Eccleſ. Nydeck.

A. Prælectione *Aquarum mineralium & Thermarum cauſſas exponens.*

B. Quæſtiones explicandæ ac defendendæ.

1. Logicæ ſtudium num ad vitæ negotia & Caſus magis aptum ac ſapientem reddat hominem?
2. Rectène quidam dixerint, plurima, quæ ideas noſtras concernunt, adhuc myſteria eſſe?
3. Hypotheſes in Philoſophia ſintne admittendæ, & an non contra idem, quod Scholaſticis objectum fuit, peccent, ſcil. quod Phœnomeni cauſa adhuc ignota jam certo deſignetur nomine, ac inde mox ratio arceſſatur?
4. Numerus infinitus ſitne poſſibilis?
5. Cohæſionis particularum in corporibus quænam ſit ratio?
6. An non influxus phyſici ſiſtema adhuc cæteris ſit præferendum?
7. Num animæ immortalitas ex ipſa ejus natura poſſit demonſtrari?
8. De Angelis num aliquid ex Ratione innoteſcat, & quidnam?
9. Rectène an ſecus Cel. MAUPERTUIS in *eſſais de Cosmolog.* dicat, quod animalia & plantæ ſint machinæ nimis compoſitæ, earumque partes nimis ſubtiles, quam ut de ſapientia effectoris exinde judicare poſſimus; tantò magis quod quædam videantur ſolum inchoata & tentamina?

10. Num omnis materia in perpetuo constituta sit Motu?
11. An ignis omnia, in quæ penetrat, corpora dilatet?
12. Sol tempore Josuæ quomodo stetisse censendus sit?
13. Quænam sit ratio ventorum inter Tropicos continuo ab ortu occasum versus spirantium?
14. Metallorum transformatio sitne possibilis?
15. Possitne explicari, quare objecta in oculi fundo inversè depicta tamen recta appareant?
16. Quænam de animalium generatione sententia, WOLFII an VALLISNERII sit præferenda?
17. Ægyptiorum Philosophia num impii aut absurdi quid involverit?
18. An rectè quidam negaverint, quod Athei fuerint theoretici?

III. DANIEL STUDER, *V. D. M.*

A. Prælectione *Motus Telluris annui & diurni* num *rationes* reddi possint physicæ, & quænam Hypothesis cæteris sit præferenda, edisserens:

B. Quæstiones explicandæ ac defendendæ:

1. Num Logica veritatem inveniendi facultatem ita conferat, ut, quod veritates novæ in Scientiis fuerint inventæ, ei debeatur?
2. An non consequentiæ immediatæ ratiocinandi Legibus adversentur, hinc nihil probent?
3. Sitne veritatis criterion certum, quando prædicatum per notionem subjecti determinatur?
4. An ullus muneri Philosophiam docendi possit esse aptus, qui non cognitione Scientiarum phi-

philoſophicarum ſyſtematicâ, diſtinctâ, familiari meditatione conjunctâ, polleat?

5. Rectène teneatur, quod animæ natura magis nobis ſit nota quam corporis?
6. Num etiam, quæ ſenſibus percipimus, tamen reverâ mediante ſyllogismo à nobis fiant, ac talem involvant?
7. Poſſitne Dei omnimoda ſimplicitas apodicticè probari?
8. An non, etſi Deus non eſſet, tamen veritates eſſent æternæ?
9. Doloris natura num ſufficienter indicetur, quando ſolùm in continui ſolutione conſiſtere dicitur?
10. Saturni annulus cujusnam ſit naturæ ac uſus?
11. Quænam parheliorum atque coronarum ſit cauſa & natura?
12. Montium origo ſitne à diluvio Noachico derivanda?
13. Num aër elaſticitatem ſuam perdere & dein recuperare poſſit?
14. Siccitas illa tempore Eliæ num juxta rationes phyſicas vel alias contra Irreligionarios defendi poſſit?
15. Aqua poſſitne ad certum ſolum usque gradum calefieri, ultra quem ejus fervor augeri nequeat, quicunque etiam admoveatur ignis?
16. Quomodo lapides oriantur & num creſcant?
17. An Stoicorum Fatum conſilium & contingentiam everterit?
18. De *Gaſſendi* Philoſophia & ejus in Philoſophiam meritis quid ſit ſentiendum?

IV. NICOLAUS RYZ, *V. D. M.* *in* Diesbach.

A. Prælectione *Caloris cauſſam, affectiones & effectus* exponens.

B. Quæſtiones explicandæ ac defendendæ:

1. Ratiociniorum omnium fundamentum ſitne principium illud: *quæ conveniunt uni tertio conveniunt inter ſe* & contra &c. porro an nihil contra id à Scepticis excipi queat, & nullane in ulla Scientia admittatur propoſitio, per quam axioma id labefactetur?
2. An clara & diſtincta cognitio ſit veritatis criterion?
3. Methodus analytica an ſynthetica in Scientiis ſitne præferenda?
4. Mens humana num pro Tabula raſa haberi poſſit?
5. Corporis eſſentia conſiſtatne in extenſione?
6. Num enti ſimplici in genere Vis Mundum ſibi repræſentandi attribui poſſit?
7. Dæmonum operationes credere num Philoſopho ſit dignum?
8. Res ſemel exiſtentes habeantne continuâ Dei operatione ac Influxu ſemper opus, adeò ut alias in exiſtendo pergere non poſſent?
9. Frigoris cauſæ & affectiones quænam ſint?
10. Quænam ſit ratio, quare in Machina Papiniana oſſa bovis intra pauca minuta in maſſam teneram converti poſſint?
11. An rectè elegantiſſ. VOLTAIRE ex eo, quod Solis lumen aliquot minutorum ſpatio ad nos perveniat, concludendum velit, illud

illud ſtellarum fixarum quarundam aliquot annorum ſpatio demum ad nos pervenire?

12. Quasnam Cometæ habeant revolutionum ſuarum Leges, & num ab iis ſint arceſſendi effectus ſtupendi futuri, conflagrationis Orbis ſublunaris?

13. Quomodo Vapores & Halitus oriantur ac eleventur?

14. Fluxus & refluxus Maris quænam ſint cauſæ?

15. Sintne cryſtalla, quæ in montibus Helvetiorum glacialibus inveniuntur, ex glacie enata?

16. An vitra aut metalla aquam transmittant?

17. Quidnam de Jobi & ſodalium Philoſophia ſit ſentiendum?

18. Num *Ariſtoteles* animæ immortalitatem negaverit nec ne?

V. JOANNES STAPFER, *V. D. M.*

A. Prælectione *Phyſices præſtantiam* ac uſum commendans.

B. Quæſtiones explicandæ aç defendendæ:

1. Quomodo Logica optime, ac ut Uſum in Scientiis & in vita humana habeat, ſit pertractanda?

2. Cognitio mathematica num requiratur in Philoſophia & in Philoſopho nec ne?

3. Num ſyllogismus ullus ſolido poſſit ſtare fundamento: cùm univerſalium cognitione deſtituamur?

4. Principium Ration. ſuffic. nullamne plane patiatur exceptionem?

5. An inde, quod Objecta Senſibus percepta nihil

hil perceptionibus noſtris ſimile in ſe continent, ſequatur, Senſus eſſe fallaces?

6. Vis inertiæ ſitne corporibus inſita, an vero à gravitate pendeat?
7. Spiritus finitus quilibet num ſociatum ſibi habeat tenue corpuſculum?
8. Quomodo Dei exiſtentia optime probetur?
9. Phyſica theoretica & magis adhuc experimentalis, num, absque Chemia ſi ſit, dici debeat monocula, absque Matheſi utroque orbata oculo?
10. Gravitatis cauſa phyſica ullane vera hactenus fuerit allata, vel poſſitne erui, aut ſitne ad ſolam Creatoris voluntatem recurrendum?
11. Quomodo calor & frigus è ſola corporum quorundam inter ſe permixtione oriri poſſit?
12. Aſtrorum creatio à MOSE recenſita num Rationi ac attributis Dei conveniat?
13. Terræ figura quænam ſit, & num ejus axis ſit brevior quam diameter æquatoris?
14. An ignes dentur ſubterranei, & an in telluris gremio?
15. Quare corpus duobus oculis objectum duplex tamen non appareat?
16. Magnetis phœnomenon an ſufficienter per *Carteſii* hypotheſin explicetur?
17. Phœnicum Philoſophia num Atheismum foverit?
18. Philoſophia Carteſiana plusne damni quàm utilitatis attulerit?

VI. JO. ROD. WALTHER, *V. D. M.* *in* Spietz.

A. Prælectione, quænam *in Phyſices Scientia adhuc* deſi-

desiderentur; item num & quomodo spes sit, cognitionem in rebus physicis eo usque fore provehendam, edisserens.

B. Quæstiones explicandæ ac defendendæ:

1. Logica probabilium quoad propositiones num fundamentum habeat?
2. An non, quæ de variis illis propositionum generibus vel speciebus in Logica præcipiuntur, maximam partem sint inutilia?
3. Syllogismus sitne medium inveniendi veritatem vel dijudicandi?
4. Num substantiæ notio, quâ ens Vi agendi intrinseca gaudens notat; cum Dei concursu bene ac prorsus consistere possit?
5. Idealistarum Dubia num philosophicè solidè solvi possint?
6. Principium indiscernibil. sitne axioma indubiæ ac universalis veritatis?
7. Attractio vel Accessus corporum mutuus sitne qualitas occulta?
8. Brutorum animæ possintne dici ab hominum animabus naturâ & essentia differre?
9. An bene Cel. MAUPERTUIS *ess. de Cosmol.* contendat, pro Dei existentia probanda melius ad regulas motus quam vero ad Usum ac finem partium, organorum in animalibus recurri: eo quod Athei objicere possint, innumeram individuorum multitudinem fortuito esse ortam, pauca vero ita organis partibusque fuisse instructa, ut se conservare ac propagare potuerint?
10. Quænam sit genesis, natura & propagatio soni?

11. Num vi ignis quolibet momento metalla & lapides duriſſimi in vitrum converti poſſint?
12. Quemnam Luna in corpus humanum ac Plantas habeat influxum?
13. *Carteſii* vortices involverintne abſurdi quid, vel an contra magis quam *Neuwtoni* gravitationes mutuæ corporum cœleſtium ſe probent?
14. Barometrum ſitne montium altitudini menſurandæ aptum?
15. Num artificii illius, quo Jacobus quoad oves uſus legitur Geneſ. 30. 37. ſeq. ratio poſſit reddi phyſica?
16. An electricitas variis in morbis uſui eſſe poſſit?
17. De Philoſophia atomica quid ſit ſentiendum?
18. Num Stoicorum Sectæ Atheismus poſſit exprobrari?

VII. FR. LUDOVIC. ALLEMAND,
V. D. M. in Ormont.

A. Prælectione *Tonitru & Fulminis phænomena* explicans, & num explicationes hactenus datæ ſatisfaciant, dijudicans.

B. Quæſtiones explicandæ ac defendendæ:

1. Quænam Philoſophiam tyronibus tradendi methodus cæteris ſit præferenda, num ſcientifica an vulgaris, vel an communis, item num prolixior an brevior?
2. An Logica probabilium in determinatione gradus probabilitatis hiſtoricæ bene applicari poſſit?

3. Nonne

3. Nonne Philoſophi revera Voces mente caſſas admittant & conſecrent, dum multa negative exprimunt?
4. Num quodlibet corpus Vi gaudeat elaſtica?
5. Miraculorum actualitas num à Philoſophia agnoſcatur & exinde probetur?
6. Poſſitne harmoniæ præſtabilitæ hypotheſis defendi?
7. Exiſtentia Dei num à priori ſolidè probetur, & ab entis perfectiſſimi poſſibilitate ad ejus exiſtentiam tutò concludatur?
8. An conſervatio rectè continua dicatur creatio?
9. Num, quæ de materia interlabente dicuntur, & quod calor inde oriatur, ſolide ita dicantur?
10. Actio in diſtans an detur?
11. An ex eo, quôd lumen paucorum ſolùm minutorum ſpatio inde à Sole ad nos perveniat, ſequatur Vacuum eſſe oportere?
12. Quid de ſtellis, quæ poſtquam diu comparuerunt, iterum dein diſparent, ut amplius non videantur, ſit ſentiendum?
13. Quasnam glaciei in montibus glacialibus incrementum & decrementum habeat cauſas, & an montes hi, glacie ita obducti, ſemper extiterint?
14. Cur Mercurius in Barometris pluvia inſtante jam deſcendat?
15. Frigus an omnia, quæ condenſari poſſunt, corpora condenſet?
16. An poſitis omnibus æqualibus fluida igni impoſita in Helvetia citius quam in aliis regionibus ebulliant?

17. An

17. An Pythagoræi, quæ de animarum transmigratione dixerunt, propriè intellexerint?
18. Quid de Philoſophia Moſaica per *Comenium* & *Bayerum* reſtaurata ſit ſentiendum?

Ex hisce Viris Clariſſimis munus Philoſophiæ publice docendæ Illuſtriſs. Senatus Academici Decreto traditum eſt V. Cl. JO. RODOLPHO WALTHERO, V. D. M. qui hanc Spartam ad d. d. VI. Novembr. Oratione inaugurali adiit, qua docuit *rationem, qua in tradendis Diſciplinis, maxime Philoſophicis, brevitas cum ſoliditate combinari poſſit.*

Dedit quoque Clariſs. ALTMANNUS Eloquentiæ Sacræ, quam hactenus egregiis Exemplis illuſtraverat, Præceptiones in uſum Auditorum ſuorum, ſub hac Epigraphe: *Delineatio Oratoriæ Sacræ* brevibus Præceptis exhibita. Auctore J. G. ALTMANNO. Bernæ. Cum Privilegio Illuſtriſſ. Reip. Bernenſ. 1753. 8. maj.

LAUSANNA. Vir Clariſs. J. P. SECRETAN, qui celeberrimo Polyhiſtori ABRAH. RUCHAT in Cathedra Theologica, præter omnem omnium exſpectationem, Succeſſor datus eſt, die XXII. Maji. An. MDCCLI. novum Munus adiit Oratione inaugurali, qua de Controverſiis circa Religionem rite tractandis diſſeruit, oſtendens 1.) Quænam ſint Controverſiarum capita tractanda. 2.) Quomodo ſint tractanda. Hanc Orationem ſub Diſſertationis Academicæ forma ſuperiore anno publice propoſuit, quæ Bernæ typis exſcripta an. 1752. 4. pl. 4½. Eamque cum Theſibus anne-

annexis publice propugnarunt *Noach. Lud. Bridel*, Minnidunens. *& J. Franc. Vincentius.* Muſtruacens.

Hanc mox deinde excepit altera Diſputatio, cujus hic eſt titulus : *Summa Fidei Chriſtianæ* exhibita a J. P. SECRETAN, *S. Theol. in Acad. Lauſannenſi Prof.* quam Autore Præſide publice defendent *A. A. Bridel*, Minnidunnens. & *Dav. de Sonnaz*, Aventicenſis. Bernæ. 1752. 4. pl. 4.

Hic quoque lucêm conſpexit majoris Operis Diſſertatio, ut vocatur, Præludialis cum hoc titulo : D. H. QUIRINI PHILALETHIS de Malis ex Eccleſiæ Romanæ Dogmatibus, Diſciplina & Praxi Principibus, Reip. Humanæque Societati obvenientibus. Diatribæ XII. Quarum argumenta hæc erunt : I. Diatriba oſtendet Oeconomiam illam a Deo definitam & a Redemtore noſtro commendatam, procedendi nempe *per liberum Rationis exercitium* in ſalutarium Veritatum meditatione, ab Eccleſia Rom. everti ac eliminari. II. Argumentum erit, *Religionis Rom. diverſitas ab antiqua per Apoſtolos annunciata*, humanis placitis pro genio innixæ : & quod graviſſimum eſt, ſuperſtitionibus multiplicibus humanæ Societati noxiis vitiatæ. III. Demonſtrabit, *Religionis Rom. nervo Salutis viam populis difficiliorem* rudioremque omnino *reddi*; cum externa quædam devotionis exercitia promoveat, chimericis dotibus tantummodo affecta, vitiorum radices & ſemina non præcidat, non extinguat. IV. Ad Sanctuarii pondus librando *præcipua illius Dogmata*, ex eorum origine, cæterisque annexis, non-

nonniſi ex pravo ſuperbiæ avaritiæque ſpiritu, pietatis ſpecie perſonato, illa proceſſiſſe (unde prima cœpit mali labes) ut temporanea Papæ poteſtas, Eccleſiaſticorumque regnum longe lateque protenderetur, cæteris præſtaret, opibusque affluueret, compertum reddet & exploratum. V. *Romanenſium artes* indicabit, *quibus*, vel Traditionis beneficio aut fraudum vulgo piarum, quibus indulgent, ope, propria *Dogmata vallare ac propagare* ſatagunt. VI. *Larvam* præcipuis illius *Religionis Patronis detrahet*, eosque carnalis prudentiæ potius machinamentis & dolis, peſtiferæque Politices canonibus, quam vero Dei juſtitiæque zelo inſtructos exhibebit. VII. Circa *Tirannidem*, quam in bona, in conſcientias & in perſonas Religio. Rom. ſibi adjudicat, verſabitur. VIII. Palam faciet, quam immaniter *Religio illa temporaneam Principum poteſtatem parvipendat*, impetat, convellatque. IX. *Perſecutionis* cacodæmonem, *quo Religio illa munitur*, indigitabit & execrabitur; quoque nullam non movet machinam, ut ſeditionibus vel proditionibus ipſi non obtemperantes opprimat. X. *Eam armis ſtipatam*, quæ citra vel minimum incommodum ſibi comparare poteſt, & *bella auſam* perficere, & ipſos Principes morti tradere, in aperto ponet. XI. Præcipua recenſebit detrimenta juribus Reip. Civili propriis, quibus promovetur, a Rom. Religione illata; quandoquidem illam membris ſubjectisque deſtituit, eosque paucos inertes omnino, ignavos, pauperesque reddit. XII. *Religionem Rom.* ejusque *Praxin*, tanquam *tranquillitati publicæ*, paci ac ſecuritati *infenſam* apodictice convincet.

BASI.

BASILEA. Ingentem hæc Academia jacturam fecit, quum Vir ſummus KOENIGIUS, M. D. & Prof. P. ſubita apoplexia oppreſſus e vivis exceſſit.

2. Hic Typis Piſtorianis exſcriptus eſt Libellus ſub hoc Titulo : *Scriptores rerum Baſilienſium minores.* Vol. I. Complectitur 1.) CHRIST. URSTISII Epitomen Hiſtoriæ Baſil. 2.) NIC. GERUNG dicti *Blawenſtein*, Chronica Epiſcoporum Baſil. e *Codice Monaſterienſi.* 5.) AEN. SYLVII Epiſtolam de Baſilea. 6.) AEG. TSCHUDII, *Glaronens.* Delineationem veteris Rauricæ : e MS. translatam. Hanc Syllogen recenſuit, curavitque Vir Clariſs. J HENR. BRUCKERUS, *Hiſt. Prof. P.* qui eam etiam prolixa ac multa eruditione critica referta inſtruxit Præfatione. Baſileæ. 8. 1752.

3. Joh. Miltons wieder erobertes Paradies: Nebſt deſſelben Samſon; und einigen andern Gedichten : Wie auch einer Lebens-Beſchreibung des Verfaſſers, aus dem Engliſchen überſezt. Baſel. Verlegts Joh. Rud. Imhoff. 1752. 8. Verſionem hanc adornavit Vir Clariſs. SIMON GRYNÆUS.

4. Acta Helvetica, Phyſico-Mathematico Botanico-Medica : Figuris æneis illuſtrata, & in uſus publicos exarata. I. Vol. 4. Continuantur hæc Acta apud Imhof.

5. Apud Imhof ſub prælo ſudat : *Le Nouveau Dictionnaire Suiſſe*, François Allemand & Allemand-François : contenant tout les mots uſités, & les phraſes les plus modernes de deux Langues, de même que tous les Termes de differents Arts,

Metiers & Sciences, les noms des principales Villes, Païs, Provinces & Fleuves &c. Le tout ſelon le ſtyle & l'orthographe nouvelle. Par *Francois Louis Poetevin.*

BIENNA. Hic nuperrime nova Editio Agendorum Eccleſiaſticorum ſive Liturgia Eccleſiæ Biennenſis nitide typis exſcripta eſt, ſub Titulo: **Gebette und Handlungen bey dem offentlichen Gottesdienſt der Kirche zu Biel. Bey Joh. Chriſtoph Heilmann.** 1752. in 8. maj. Hæc nova Editio, quæ Formulas multis modis auctas ac pio ſtudio emendatas repræſentat, multis nominibus ſe commendat, & ſapientem Libertatis Chriſtianæ uſum arguit.

GENEVA. Clariſs. VERNETO inſcio, quamvis non invito opuſculum, quod ſcriptum cum amicis Batavis communicaverat, Hagæ Comitum typis exſcriptum eſt ſub hoc titulo: *Lettres ſur la coutume moderne d'employer le VOUS au lieu du TU*, & ſur cette Queſtion: Doit on bannir le TUteyement de nos Verſions, particuliere-ment de celle de la Bible? à la Haye, chez Dan. Aillaud. 1752. 8. pl. 10½. Opuſculum IX. abſolvitur Epiſtolis. Quarum argumenta hæc ſunt: I.) Sur l'origine de la coutume de Vouzeyer, & juſqu'à quel point cet uſage a gagné dans le Diſcours & dans les Ecrits des Nations modernes de l'Europe. II.) Sur l'uſage de VOUS & du TOI dans les Traductions des Auteurs profanes. III.) Ou l'on montre, qu'il ſeroit peut être plus convenable, en traduiſant un Livre qui tuteye, de garder le même ſtile. IV.) Defenſe des Principes poſez dans la Lettre précedente. V.) De ce qui

s'eſt

s'eſt pratiqué à l'égard du Tuteyement dans les diverſes traductions de l'Ecriture S. VI.) Ou l'on montre, qu'il n'y a pas de raiſons ſuffiſantes, de bienſéance, ou de civilité, pour nous faire bannir le Tuteyement de nos Bibles. VII.) Où l'on montre, qu'il n'y a point d'Uſage, qui exige, qu'on banniſſe le Tuteyement de nos Bibles. VIII.) Où l'on raporte pluſieurs témoignages ou pluſieurs Lettres, qui confirment le Sentiment qu'on a expoſé : par *Mr. de Fontenelle*, par Mr. le Preſident de *Montesquieu*, de Mr. *Tr.* Avocat, de Mr. *Boullier*, Paſteur de l'Egliſe Wallone de Londres, de Mr. le Profeſſeur *Formey*, de Mr. de *Superville*, Paſteur de l'Egliſe Wallone de Rotterdam. Id unum monere liceat, in *Petri Caſtellani* Ludo, non longe ab initio, illas in Salutando Voſiſſationes, tanquam a Latini Sermonis indole alienas & ſoloecas, attico ſale acriter perſtringi.

2. Pro Cathedra Mathematica nuper eſt certatum publicis Theſibus, palmaque V. Clariſs. J. ANDR. TREMBLEY attributa.

CURIA RHÆTORUM. Hic Vir Rever. atque doctiſs. . . . . de PLANTA, qui nuperrime Eccleſiæ in Zizers ſalutari doctrina informandæ admotus eſt; luculentam publicavit Diſquiſitionem de Uſu & præſtantia Calendarii novi præ Gregoriano : Ubi etiam omnibus, quæ ejus receptionem hactenus impedierunt difficultatibus ita obviam ivit, ut præter pertinaciam nihil habeant reliquum, qui ſe huic emendationi ulterius opponere volunt.

ORATIO,

in qua nonnulla Scientiæ minus efficacis signa exponuntur. *

SI bene sentire, recteque facere satis est ad bene, beateque vivendum; uti eleganter monuit magnus orator atque Philosophus: apparet, scientiam & virtutem, quarum illa mentem perficit, hæc voluntatem format, ita inter se connexas esse, ut qui alterutram tantum habet, a via quæ ad beatam & immortalem vitam ducit, longissime deflectat. Nam qui bene sentit, neque facit secundum id quod sentit: ejus similis est, qui itineris in patriam probe gnarus, quum ingrediendum esset, refert pedem, & sciens prudensque alio divertit. Hoc saltim pessime sentit, parum interesse utrum recte faciat, necne. Qui vero, si effectus virtutis consideres, sedulo quidem agit, sed quo fine, quidve agat, nescit, ordinemque negligit: perperam agit, ac vera sapientia destitutus est, quia & finem actionis constituere & omnem ejus rationem cogitare, & ordinem in agendo servare, id semper sapientis est habitum. Igitur hæc qui prætermittit, quod amplissimum illud bonum, quo præstabilius aliud

* Recitata a Viro summe Venerando J. C. WIRZIO, nunc Eccl. Turicens. Antistite dignissimo, jam ante hos XL. annos in Collegio φιλομαθῶν.

mortalibus a Superis tribui non potuit, ſuſque deque habet, placere Deo nequit. Nihilo minus in utroque alucinari homines, nemo diffitebitur, niſi qui humanam imbecillitatem dicam, an ſo-cordiam penitus ignorat. Complures enim videas qui quod ad agendum nos natos, virtutique in vita operam dandam eſſe ſciunt, idemtidem negotioſi, nunc hæc, nunc illa officia præſtant, precibus atque ſupplicationibus Deum propitiare conantur, voluntatem ejus audiunt, beneficia concelebrant, pauperem inopiam ſuis opibus ſublevant, & alia atque alia, quæ ad religionem pertinent, faciunt, ut & boni cives, & pii Numinis cultores videantur: ceterum nulla Dei cognitione imbuti, neque de ea ſolliciti, non prægnantibus conditis, quæ ab orbis rectore gubernantur ac moventur, ſed ſine ſenſu, aut conſcientia facti. Verum multo maxima hominum pars tum ſe officio ſatisfeciſſe ſuo putant, cum Deum, cum præcepta promiſſaque ejus vel obiter & tumultuarie, vel ſatis accurate quidem & erudite cognoſcunt, ſed nihil, vel parum admodum ad virtutis exercitium conferentes, in ſola rerum divinarum ſcientia adquieſcunt, ea magnopere delectantur, ea ſe jactitant, tamquam ſapientiæ præceptis non ad vitam agendam, ſed ad oſtentationem foret utendum. Hos multum falli, vel ex eo conſtat, quod, ſi in ſemet deſcendant, & ad rationis dictamina animum advertant, ipſi quam exigua ſibi in ſemet relicta ſpes ſit, continuo ita deprehendunt, ut ſtultitiæ ſuæ non pudeat ſolum, ſed pigeat, tædeatque. Cum enim ſenſus communis, & finis ad quem omnes facti nati.

natique ſumus, tum oracula ſacra, quorum maxima in nobis auctoritas eſſe debet, liquido demonſtrant, religionem & virtutem a ſapientia divelli non poſſe, nec magni faciendam illam ſcientiam, quæ ad pietatem nihil prodeſt. Sane Chriſtianæ religionis capita continere ſuaviſſima piorum cultuum incentiva, & doctrinæ, quam primum ipſe dux veritatis, mox auguſtiſſimi illi perſuaſionis noſtræ XIIviri promulgarunt, ſummam illuc redire, ut beneficiorum divinorum memores, temperanter, juſteque pieque vitam tranſigamus noſtram; nuper plenius a me probatum.

Sequitur, ut inquiramus, quibus ſignis ſcientia efficax a minus efficaci internoſci, diſtinguique poſſit: ne nubem, quod ajunt, pro Junone amplexi, falſa nosmet ſpe lactemus, aliisque, qui in vitas noſtras tamquam ſpeculum intuentur, imponamus. Ut enim in omni doctrina gradus ſunt, & alios ſemper in rudimentis hærere, alios vero ad interiores progredi litteras videmus; & quo propius ab rudimentis abſumus, hoc minorem ex litteris voluptatem fructumque capimus, contra quo longius progreſſi, eo majori nobis in rebus ſecundis ornamento, in adverſis ſolatio, in utraque fortuna oblectamento litteræ ſunt: ſic in illa diſciplina, quæ dignitate & utilitate ceteras antecedit, diverſi gradus dantur. Alios in imis verſari, alios medium tenere, alios denique ad ſummum emiti animadvertas. Eccleſiæ cives, cognitionis ratione habita, vel infantes ſunt, vel adoleſcentes, vel viri atque adulti. Qui perfunctorie ſciunt, infantibus; qui paullo plenius ac

uberius, adoleſcentibus; qui plene ac perfecte, viris atque adultis in Sacro Codice conferuntur. Cum autem nemini non apertum ſit, horum omnium cognitionem non æque beare; ſed feliciſſimos eſſe, quorum intimos ſenſus amor veritatis ita tetigit, ut ejus ſtudio nil prius, nil antiquius habeant; quosque hauſtæ ex ſacris fontibus aquæ usque adeo lætificant, ut opimis pietatis frugibus ſint referti: patet, uniuscujuſque, cui æterna felicitas cordi eſt, eſſe, explorare animum ſuum, utrum exigua & ſuperficiaria, an ſolida & confirmata præceptorum promiſſorumque divinorum cognitione imbutus ſit. Quæ judicatio facilis erit, dum ſinguli vitam examinemus noſtram, & ex factis judicium feramus de amore, quo cuncta proſequimur. Si ergo res minus dignas præoptemus neglectis dignioribus, ſi vilia & contemnenda præ aliis quantivis pretii expetamus & concupiſcamus, ſi quæ honeſta atque utilia ſunt, propterea averſemur, quod ingrata ſunt, & primo intuitu inſuavia: hic præpoſterus amor, hæcque infrunita averſio puericiam in ſcientia arguit, & vivendi rationem per omnia pueris ſimilem. Id quod planum fiet, ſi nonnulla ejus exempla atque indubitata indicia protulero.

Horrent pueri caſtigationem parentum, tanquam rem malam, licet ſibi maxime utilem. Signum itaque eſt infantiæ in cognitione Chriſti, adverſa horrere, tamquam nobis revera noxia: equum ſint perquam utilia. Deus enim (ut Senecæ verbis utar) homines pro liberis habet, ſed corruptos & vitioſos luxurioſe ac delicate pati-

tur vivere: quia non putat emendatione ſua dignos. Bonos autem, quos diligit, caſtigat ſæpius, & adſiduis laboribus ad uſum virtutis exercet: nec eos caducis, ac mortalibus bonis corrumpi, ac depravari ſinit. Unde nemini debet mirum videri, ſi pro noſtris ſæpe delictis caſtigamur a Deo. Immo vero, quum vexamur ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentiſſimo Patri: quod corruptelam noſtram non patitur longius procedere, ſed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, nos Deo curæ eſſe, quoniam, quum peccamus, iraſcitur. Quia enim humanæ naturæ imbecillitas ne optimos quidem viros omnis peccati expertes eſſe patitur: neque quisquam aut eſt, aut fuit, quibus id ſingulari Dei beneficio tributum ſit, quin aliquando offenderent ac prolaberentur: juſtitiæ divinæ conſentaneum eſt, maculam, quæ forte ex illis prolapſionibus ſuſcepta eſt, temporariis illis acerbitatibus, quaſi nitro quodam aut lomento elui ac deleri. Et quando natura mortalium fere ita comparata eſt, ut terrenis ac fragilibus bonis debilitati enervatique, aberrent a diſciplina legis, ac vincula pietatis rumpant: providit Deus, quatenus premi voluit ab impiorum globo cultores ſuos, ne rerum proſperarum felicitate corrupti, in luxuriam laberentur, ac Dei præcepta contemnerent. Ita fit, ut Deus immiſſis calamitatibus non labantes confirmet, & ſæculi illecebris fractos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur ac tentet. Quomodo enim poteſt imperator militum ſuorum probare virtutem, niſi habuerit hoſtem? Quomodo magis illuſtrari eorum patientia ac fortitudo, qui ſe ab exquiſitiſſimis malis vinci non ſinunt? Quomodo

a nobis

a nobis cognoſci, niſi a Deo in iſtiusmodi certaminibus exercerentur? Aurum, ut dicit Seneca, probat ignis, miſeria fortes viros. Ex qua ſi nullum aliud ad eos redundaret commodum, vel hoc maximum foret, quod ſciunt quibus rebus felicitatem metiri ac dirigere, quosque ex omnium hominum numero felices ac beatos, quos contra infelices ac miſeros ducere debeant. Non enim qui multa poſſidet, beatus eſt: ſed multo ille beatior, qui non tantum divitias non concupiſcit, ſed iis quas habet, ultro ſe ſpoliat, ut copiis ſuis aliorum indigentiæ opituletur. Non qui innocens exſulat, miſer eſt: ſed tanto felicior, ſi id æquo animo ferens, operam det, ut ne ab illa æterna & cæleſti patria exſulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore, felix eſt: ſed ille, qui in corpore quamlibet infirmo perpetuam animi retinet firmitatem. Non cui multa dura, & perpeſſu aſpera eveniunt, miſer: ſed is potius, qui proſperis ſucceſſibus ebrius, neque altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus hujus vitæ bonis adquieſcit. Unde, ne ſuperbiant pii ac inflentur, cum res magnas & præclaras geſſerunt, ſed ſubmittant animos memores infirmitatis ſuæ, cum adverſa eos fortuna conſtictari Deus ſinit. Sollicitantur enim cum Davide fateri: Magnæ profecto ſaluti nobis eſt, adfligi nos, acerbaque pati, nam perdiſcimus, o Deus, leges tuas. Accedit ingens alia commoditas, quæ taceri non debet. Quod ſi bonis viris omnia proſpere ſuccederent, ſi divitiis adfluerent, ſi colerentur ac ſuſpicerentur a ceteris, ſi numquam ægrotarent, numquam dolerent, nullum incommodum ſentirent, fortaſſis exiſtimaret vulgus, eos pietatem

colere non ſuapte ſponte, ſed illa quaſi mercede allectos & invitatos. Nunc cum eos non egeſtas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum ſævitia, non improborum ſibilli, non mortis metus a Dei cultu, & a vera pietate poſſit abducere, manifeſto conſtat honeſtatem ac virtutem, & Deum in primis ipſum ab eis propter ſe, non propter ullam mercedem amari. In qua re ſanctiſſimus Job plane fuit eximius.

Deinde amant pueri vilia, pomum præ adamante; adulti vero ea negligunt. Ita infantiæ in Scientia Chriſti indicium eſt, voluptates & divitias mundi ſectari præ cœleſtibus & nunquam perituris bonis. Nam etſi divitiæ hônori ſunt, & eas gloria, imperium, potentia ſequitur; etſi divitias & opes facilius invenias qui vituperet, quam faſtidiat, quia illas prima mortales bona putant; tamen ita eſt, uti Salluſtius cenſebat: divitiarum & formæ gloria, fluxa atque fragilis eſt: virtus clara, æternaque habetur. Ubi divitiæ magni fiunt, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Ubi virtutem opulentia vincit; ibi animus ad voluptatem ac luxuriam a vero & honeſto deficit. Quid vero homine, luxui & ſaginæ mancipato emptoque, vilius, quid turpius atque fœdius? Namque luxuria blandimentis ſuis curſum virtutis intervertit, & qui ſe illi corrumpendos dedere, illecebris ſuis de bonæ mentis ſede dejicit. Immo ventri deditis, profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri eſt. Illi φιλήδονοι vocari merentur, qui ſunt φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι, id eſt, qui omnes virtutes & colunt, & retinent, qui juſtitiæ operam dant, qui

in

in Deo delectantur. Itaque perfectioris scientiæ signum est, opes & voluptates flocci pendere, & Dei causſa, non inanis gloriæ acupandæ ergo, abjicere, tamquam virtutis impedimenta, & gulæ irritamenta; Mosis instar, qui, ut se corroboravit, adoptivus filiæ Pharaonis filius esse renuit, immo, si Josepho credere fas est, ipsum aspernatus imperium, præoptavit cum popularibus vexari premique, quam caducis corporis gaudiis frui, & Christi probra ditibus Ægypti gazis præposuit. Quem imitatus Paullus, omnia quæ in lucro posuerat, & dum Pharisæos sequeretur, maximi fecerat, postquam Christo nomen dedisset suum, in abjectissimis habuit.

Tum ejulant pueri, & lamentis omnia complent, si crepundiæ ipsis eripiantur, si nuces desiderent, si arundo vi aut furto auferatur: si vero pater aut mater irascantur, vel moriantur, vix ullum animo dolorem sentiunt, aut si forte vel minax & torvus iratorum vultus, vel adstantium planctus lacrymam expressit, cito inarescit. Ita revera infans in Christo est, qui ex amissu bonorum terrestrium immodicum capit dolorem; qui, ubi vel tantillam fortunarum jacturam fecit, in miserrimos questus effusus, fortunam, immo, ut verius dicam, ipsum incusat Deum, qui ut cœlestium, sic humanarum rerum procurationem habet. Qua in re deterius omnino agit Veteribus illis, qui quod videbant, optimos quosque plerumque paupertate vexari, cum multi improbi divitiis abundarent: ignominiam, exsilium, orbitatem, morbos, tormenta, cruciatus, proprium quodammodo bonorum virorum patri-

monium

monium esse; cum interea multi omnibus flagitiis cooperti in summis deliciis viverent, & in omnibus negotiis suis secundissima fortuna uterentur: fortunam accusabant ut iniquam & injustam, quæ quasi dedita opera improbis mater, bonis noverca esset; vel ut cæcam & temerariam, quæ nunc bonos, nunc malos nullo discrimine aut extolleret, aut deprimeret. Et ut fit in erroribus, desultoria quadam levitate in contrarias sententias ferebantur. Nam ubi quid bonis bene evenerat, aut ubi improbus aliquis & diu divina patientia abusus pœnas dederat, tum Estis, o Superi, clamabant. At contra ubi quid contigerat, contra quam æquum esse censerent, Deos aut nullos esse, aut injustos dicebant. Pari ratione his quælibet ridicula caussa, ad suscipiendam impietatem satis idonea videtur. Sed favore divino amisso, aut plane non commoventur, aut parum. Si in iis quæ ad corporis pastum pertinent, prospere omnia fluant, immortalitatem sibi partam esse existimant. Sin autem præter opinionem quid cadat, ibi continuo: Adeon' hominem invenustum esse, aut infelicem quemquam, ut ego sum? Interim benignum & propitium, an iratum & sceleribus alienatum Deum habeant, mirifice incurioſi sunt.

Postremo terrentur pueri phantasmate, quod eos lædere non potest; quæ vero lædendi, nocendique vim habent, intrepide tractant, ut cultrum, venenum, & similia. Sic & infantiæ in Christi cognitione argumentum est, terreri acerbitatibus tamquam *μορμολυκείῳ* & terriculamento quodam, quæ tamen saluti eorum noxam inferre non possunt, immo ad illam multo sunt usui; peccata autem, certissimum & letale animæ venenum,

num, obfirmata mente committere. Nam ratio & veritas præſcribit, ut nihil in vita nobis præſtandum præter culpam putemus: eaque quum careamus, omnia humana placate & moderate feramus. Quia præter culpam ac peccatum homini accidere nihil poteſt, quod ſit horribile aut pertimeſcendum. Peccatum enim, tamquam peſtilentiſſimum malum, poſtquam hominum mentes inceſſit, ſine modo invadere, polluere, & vaſtare omnia; nihil penſi, neque ſancti habere, quoad non ſe tantum, ſed & omnes qui in eo depereunt, præcipitavit. Quam inepti itaque ſunt, qui quæ dura & aſpera videntur, ſed reapſe multifariam ſalutem adferunt, oderunt & fugiunt, ipſique Deo, per anguſta ad auguſta nos deducenti, & felicitatem noſtram paternis caſtigationibus procuranti, renituntur; contra quæ corpus animumque virilem effeminant, quæ omnes bonas artes præpediunt, quæ ab bono honeſtoque abſtrahunt, quæ denique & Deum & homines pietatis ſtudioſos alienos reddunt, in ea omni cogitatione feruntur?

Hæc nempe haud obſcure arguunt, Chriſti cognitionem aut nullas, aut ſaltem exiguas in animo noſtro radices egiſſe. Qui enim Chriſtum penitus norunt; omnes, qui incidunt, caſus ſapienter ferunt, & in perpeſſionibus, tamquam virtutum palæſtra, ſe lubenter exercent: omiſſo fluxorum bonorum amore, toto pectore, totisque viribus in id incumbentes, ut caſta atque intaminata vita ſe Deo probent, ejusque propenſam voluntatem retineant. Illis autem qui nondum hujus conſilii ſunt, in eo ſtatu minime adquieſcere, ac ſecuris eſſe licet: ne ſegnitiæ olim & torporis damnentur.

tur. Sed in gratia ac cognitione, quam adſequuti ſunt, in dies magis magisque progrediendum, donec toti ad imaginem Dei reformentur.

Corrigenda.

In Diſſert. de Relig. HOMERI. p. 186. ante vocem *Socratis* adde *Dicta.* p. 187. pro *ei* lege *Ejus Scriptis.* p. 192. *correpum* lege *correptum.* p. 215. *addint* lege *addit.* p. 215. in Notis lege: *at præter ea, quæ ſupra dicta ſunt, nota, ſi vere* ... p. 216. pro *ſe* lege *de.* p. 223. pro *Athenæum* lege *Athenagoram.*